THÈSE DE
LYON.
1882
N°. 1.

QUOD

NON ANIMA SED PERSONA LIBERA SIT

HANC THESIM

LUGDUNENSI LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT

C. JEANMAIRE

Scholæ normalis olim alumnus, philosophiæ olim aggregatus professor, ad doctoris gradum promovendus.

TOULOUSE

IMPRIMERIE DOULADOURE-PRIVAT

RUE SAINT-ROME, 39

—

1882

[illegible]

[illegible] PERSONA [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

QUOD

NON ANIMA SED PERSONA LIBERA SIT

HANC THESIM

LUGDUNENSI LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT

C. JEANMAIRE

Scholæ normalis olim alumnus, philosophiæ olim aggregatus professor, ad doctoris gradum promovendus.

TOULOUSE

IMPRIMERIE DOULADOURE-PRIVAT

RUE SAINT-ROME, 39

1882

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41553424_0036

QUOD

NON ANIMA SED PERSONA LIBERA SIT

CAPUT I

Quæ sint præcipuæ circa libertatem humanam doctrinæ.

Omni fere tempore genus actionum quæ in hominibus animadvertuntur visum est esse duplex : unum earum quæ præter voluntatem et quasi cæcis corporis aut animi viribus fiunt; alterum earum quæ ex voluntate pendent, quarum hæc est et principium et fons, quas incipiendi, persequendi, intermittendi, submovendi facultas in ea residet, quæ nunquam ea absente aut invita effici possunt. Illarum causæ alienæ sunt; harum se homines causam esse dicunt. Ex aliis constat qui in unoquoque nostrum *naturæ rerum ordo*, ex aliis qui *libertatis rerum ordo* potest nominari.

Hi autem duo rerum ordines non sunt dissociati neque disjuncti : in homine naturâ genito formatoque apparet

libertas, et in natura naturalibusque rebus per instrumenta naturalia se exercet. Qui sunt inter naturam libertatemque fines? Quatenus altera alteram invadit occupatque? Gravia de iis quæstionibus inter philosophos nemo nescit esse dissidia.

Ex aliquorum sententia, homo est suî potens, omnino liber; si non est, potest fieri. Contra eum nihil natura valet, nisi ipse velit; ille rursus nihil valet contra naturam. In eo enim hominis potestas sedet ut se a natura sejungat, suaque ea tantum dicat quæ sint voluntatis arbitrio subjecta. Talis erat Stoicorum libertas. Illa verò quomodo potuisset in aliquo institui, nisi prius e pectore id omne ereptum fuisset atque exstirpatum, quo et cum corpore et cum parentibus, cum uxore atque liberis, cum amicis, patria, hominibus, cum universo denique mundo conjungebatur? Quod homini cuique erat non se ab externa natura liberare, sed suam pervertere atque exstinguere. Præterea quum ita se res habeat ut alienarum causarum vim homines patiantur, utpote qui morbo, fortunarum jacturæ, carissimorum exitio, multisque aliis miseriis sint obnoxii, quæ alia circa ejusmodi res libertas esse dici poterat, quam eas, quantum cogitatione liceret, prævidendi et pro virili parte, si non prohibendi, saltem in remotissimum tempus differendi? Certum verò esse atque immutabilem aiunt Stoici rerum naturæ cursum. Quid prodest prævidere? Prævidere tamen utile esse affirmant, non ad mutandum, sed ad accipiendum : hoc tantum posse voluntatem humanam. Liber est qui se sponte submittit fato. Quid autem aliud est ista libertas quam voluntaria servitus?

Quibusdam aliis placuit hominem non fieri liberum suîque potentem, prout rationem ducem sequeretur, sed esse libero quodam arbitrio præditum, quod sese jure suo et nutu moveret, mentemque et corpus ad libita regeret, nec magis rationis tutelam quàm pectoris aut sensûs impulsum, nisi vellet, pateretur, at modo hùc modo illùc sponte, nulla apparente causa, se ferret. Illo ita definito arbitrio si essent homines ornati, nullam seu inceptorum seu consiliorum reddere rationem possent neque deberent; hoc unum omnibus esset idoneum responsum : *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Id liberum arbitrium *indifferentiæ* scholastici vocant. At ficta falsaque est ea libertas, quippe quum voluntas nulla sit in nobis sive a sensu affectuque sive ab intellectu sejuncta atque seposita. Si vera esset, quid juvaret pueros instituere, animos formare, ingenia bonis artibus et studiis expolire, sapientium præceptis imbuere? Quid valerent promissa, jusjurandum? Quo pacto esset in bonâ indole fides, in malâ diffidentia jure ac merito posita? Quo signo et rectè et pravè facta dijudicarentur? Quomodo etiam esset aliquid seu rectè seu pravè factum, si extra bona malaque consilia suo se nutu moveret voluntas?

Confitendum est igitur non libertatem humanam in illa vana commentitiaque *indifferentiæ* facultate esse sitam. Voluntatem, quamvis liberam, cogitationes, sententiæ, opiniones, rerum notitiæ suadent ducuntque, sensus et affectus impellunt, voluptas allicit, trahit cupiditas. Liberæ actiones sine aliqua ratione nullæ fiunt. Variarum verò rationum quibus movetur voluntas vis fuit ab aliis aliter definita.

Alii has rationes ut vires quasdam habent per se modo magis modo minus potentes, quæ inter se in animo nostro certamen ineunt, quoad una victrix evadat[1]. Quæ demum supereminuit, ea assensum inclinat voluntatemque trahit, non secus ac graviore imposito pondere lanx in libra deprimitur. Seu annuendi seu negandi causæ non in voluntate sunt, sed in mente et sensu. Quod si quando duarum rationum prævaluit ea quæ minoris tamen videbatur esse momenti, non ideo sponte et arbitrio nec ulla inclinante ratione homo id voluisse dicendus est, sed putandum potius leviori ponderi aliquid additum fuisse quo gravitas ejus cresceret et præpolleret. Nostra libertas in eo est ut animorum motus sequamur. Quum mentis pectorisve inclinationi obedimus, hoc facere quod libeat appellamus. Agere, non velle, in nostra manu est.

Alii respondent hominem non in efficiendo, sed in deliberando et in eligendo liberum esse; aut potius plenam integramque libertatem duabus ex rebus conflari, scilicet ut et per se homo quod facturus sit deligat, et per se quod delegerit faciat; quamque seu affectûs seu cogitationis inclinationem non per se ipsam, sed per assensum ei à nobis libere datum fieri prævalentem; si quam sequamur, eam victricem fore, victam verò, si ei obsistamus; illas vim ac potentiam non habere propriam, sed a nobis accipere. Ut in concione ubi aliqua de publicis rebus instituitur deliberatio, si antequam consilium ex suffragiorum numero capiatur, quidam verba faciunt ut quid sit justum, quid utile demonstrent, non ideò tamen oratorum

1. Cf. Schopenhauer, *Essai sur le libre arbitre*, trad. fr., p. 72.

argumenta, sed consultantium voluntas capti consilii causa esse videtur. Ita, quum de re facienda solus secum deliberat aliquis, si aliæ rationes ad agendum, aliæ ad non agendum sollicitant, quid aliud eæ sunt omnes quàm argumenta quæ consilium et voluntatis decretum præparant, non efficiunt? Nullam igitur secum afferunt necessitatem, nec eligendi tollunt libertatem. Quid verò eligimus? Quæ est lex et norma eligendi? Naturâ fit ut quidquid videatur optimum, id semper deligamus, quippe quum nihil aliud sit voluntatis nostræ pars intima atque fundamentum, nisi naturalis quædam ad optimum omnium quæ sint possibilia bonorum inclinatio. Nunc optimi imaginem tantum et umbram, confuso deceptus sensu, homo sequitur; nunc quod inter multa possibilia perspicuè et apertè ut optimum menti apparet, hoc sibi proponit et attingere conatur. Rem ipsam a falsa specie secernere imprimis oportet; eâ conditione delectus verè liber est; quumque hoc sit intellectûs officium, in intellectu præcipuè sitam esse libertatem dicunt. Cogitationes, affectus sensusque inclinationem faciunt, non necessitatem; quam inclinationem sequamur nos ipsi eligimus; quanquam quod inter possibilia optimum videtur, id semper eligimus, tamen quum sponte nostra, nullo consilio nisi nostro eligamus, liberi sumus. Hujusmodi erat Leibnitii sententia[1].

Eam verò opinionem qui defendunt nonnullos habent adversarios. Eligendi facultatem hi esse verè liberam

1. Cf. *Œuvres phil. de Leibnitz,* édit. Janet, t. II, pp. 325 et suiv.

negant, ut quæ sit huic totius naturæ legi obnoxia, qua causæ et effectus necessariò cohærent. Tu, aiunt, quia agendi vias eligere et propositum tenere aut mutare ipse per te potes, liberum te putas. Tuus enim ex te delectus tuaque actio pendet: tu verò non ex te pendes. Quod vis ex eo quod es consequitur. At id quod es certo temporis momento sive ex eo quod eras momento antecedente, sive ex iis quæ circùm eveniunt oritur. Tua indoles ingeniumque tuum, sensus, sententiæ, pravæ velut rectæ opiniones, libidines cupiditatesque haud secus ac elatiores animi affectus, animi inclinationes quas et natura et corporis status et eorum mores quibuscum vivis aut efficiunt aut incitant, variæ denique consuetudines ad quas à parentibus, à magistris, multisque externis causis deductus es, ea omnia sunt quasi elementa ex quibus constitutus es atque concretus. Nonne ea universæ legi subjecta sunt qua causæ et effectus inter se necessario quasi vinculo connectuntur? Omnia quæ in te fiunt quæque contingunt perpetuam quasi catenam efficiunt, in qua annulus quisque ex annulo præcedente semper et necessariò pendet. Tuus in quocunque tempore status ex antecedente statu nascitur, neque is aliter quàm est ullo modo esse potest. Non tu igitur te ipse facis, sed multæ causæ seu internæ seu externæ faciunt. Quum per te eligis aliquid, causæ quæ te, qualis es eo temporis momento, effecerunt delectùs tui causæ sunt. Tua igitur voluntas, ut omnia quæ natura genuit, necessitati paret. Vana imago est libertas. Liberos se esse homines credunt, quia causas quibus moventur ignorant. Si autem aliquid vere libere efficeretur, effectus sine causa esset.

quod est impossibile. Ita ratiocinantur qui omnia necessario esse determinata docent[1].

Quorum argumentorum conclusio diversis modis eluditur. Fuit qui in humana voluntate et necessitatem, si ex altera parte intuearis, et libertatem, si ex altera inspicias, simul existere judicaverit. Illa notissima est Kantii doctrina. Omnia quidem, inquit, quæ in nobis eveniunt continuatam causarum et effectorum seriem efficiunt necessaria naturæ lege colligatam, ut unumquodque, sive in altum regrediaris, sive ad inferiora descendas, et causa sit alicujus rei consequentis et effectum alicujus rei antecedentis. Ita, vel in homine, vel in universa rerum natura, status præsens ex præcedente necessariò consequitur, qui ipse ex alio oritur, itemque in infinitum, ut si quis statum quemcumque hominis alicujus, simul ac universi mundi eodem tempore statum, omninò perspectum haberet, is quid determinato aliquo temporis futuri puncto hic homo facturus sit certò prædicere posset, non secus ac solis lunæve defectiones astrologi prædicunt. At quales apparent, non quales sunt, res novimus. Res enim, quum nobis in temporis cursu apparent, tum naturali colligatione conserte contexteque fieri videntur; sed quum ad notitiam nostram non ita perveniant ut in se ipsæ existunt, eo fieri potest ut in se naturæ legem effugiant, cui eas sub ratione temporis perceptas subjicimus, scilicet liberæ sint aut a liberis

1. Cf. Stuart Mill, *Logique,* trad. fr., t. II, pp. 418 et suiv.; Spinosa, *Éthique,* 2e partie, prop. 8 et schol. de la propos. 35; et opinionem Kantianam de voluntaria actione in mundo sensibili, etc.

causis proficiscantur. « Ita soluta fuerit naturæ necessitatis cum libertate pugna, quum unum et idem possit simul haberi et necessarium et liberum : necessarium quidem, si temporis ratio habeatur et legis naturæ; liberum autem, si res in se consideretur, quamvis in se vere nobis sit ignota... Discrimen igitur rebus instituendum est : quæ considerandæ sunt, hinc quidem ut ex naturæ humanæ conditione nobis apparent; illinc autem ut in se constant : hoc est, ut Kantii verbis utar, hinc *phænomena*, illinc *noumena*, aut etiam *sensibilis mundus* et *mundus intelligibilis*... Igitur in una eademque re naturæ necessitas simul et libertas conciliari possunt : necessitas quidem, si res sensibile quiddam aut *phænomenon*; libertas autem, si intelligibile aut *noumenon* habeatur... Idem de homine fieri Kantius contendit : homo enim, qua *causa phænomenon* est, cæterorum instar, legi naturæ obnoxius est; qua vero *causa noumenon*, nihil obstat quin libertate fruatur[1] ». Non modo posse liberos esse homines, sed revera esse nobis existimandum est. Quo enim pacto servanda sint officia si nulla sit servandi libertas? Quod si nulla vitæ pars officio vacare potest, in eoque et colendo sita vitæ est honestas omnis et in negligendo turpitudo, voluntas libera esse debet, scilicet potestatem in se habere qua immunem se præstet externarum causarum necessitate, rationisque legi obsequatur. Lex moralis demum libertatem comprobat[2].

1. J. Barni, *de Libertate apud Kantium*, p. 8.

2. Cf. Kant, *Crit. Raison pure*, 3e *Antinomie* et *union de la liberté et de la nécessité*, trad. Barni, t. II. p. 61 et pp. 135 et suiv. — *Fond. de la Mét. des mœurs* et *Crit. raison pratique*, pp. 98 et suiv., 204 et suiv.; *Doctrine du droit*, p. 37.

Kantio autem nonnulli responderunt istius modi libertatem parum ad nos pertinere. Quum enim in *sensibili mundo* vivamus et moveamur, in eoque tantum nobis et vitæ nostræ et factorum conscii simus, si non in hoc liberi sumus, nusquam sumus. Libertas quæ alibi conceditur non nostra est. Non ipsam suî consciam personam, sed ignotam personæ substantiam, quæ *mundi intelligibilis* pars aliqua sit, contendit Kantius esse liberam. At mea substantia, quæ mihi ignota est, et a mea conscientia atque cogitatione procul remota, non idem est ac persona mea. Etiamsi illa libera sit, non inde sequitur et me esse liberum. Adde quod officii lex, pro argumento posita, non ipsa valet ad hanc quam quærimus libertatem demonstrandam. Si enim in hoc *sensibili mundo* nobis adimplenda sunt officia, in hoc est etiam adimplendi libertas. Præterea non ex officio consequitur libertas, sed potius ex libertate officium. Illam quidem hoc postulat, sed ut principium, non ut consequentiam. Quod nisi prius libertas posita est, nullo modo officium poni potest. Priorem igitur per posterius demonstrare non licet, quia hoc non posset pro certo affirmari, si illa in dubio maneret. At officium pro certo affirmatur. Quî fit istud, nisi quod libertas constanter creditur? Ergo voluntatis humanæ libertatem Kantius sustulit, qui eam procul ab hominis cujusque conscientia relegaverit; nec per illud morale argumentum, quod singulariter et unice dilexit, eam potuit restituere[1].

1. Cf. Desdouits, *la Liberté* (1868), p. 37; P. Janet, *la Morale* (1874), p. 506; Fouillée, *Rev. philos.*, avril 1881, pp. 358 et suiv. Voir aussi Boutroux, *de la Contingence des lois de la nature*, pp. 167-168.

Illam a naufragio vindicare conati quidam nostræ ætatis philosophi nova aliqua explicatione et enodatione utuntur. Si non liberi sumus, inquiunt, saltem nos liberos esse credimus. Hoc nemo fere negavit. Quod si liberos se esse homines credunt, nonne hoc idem efficit ac si re sint? Priusquam enim aliquid incipiant, secum animo item reputabunt et deliberationem habebunt, ut qui posse credant per se consilium capere; fidem item dabunt in futurum et se promissis, jurejurando obligabunt; sollicitam item instituendis pueris curam adhibebunt, quippe quos existiment præceptis obsequendi facultatem habituros; leges item et instituta civitatibus dabunt; suam cuique culpam vel merita imputabunt; officium conscientiæque leges pollere non desinent, nec quidquam erit in moralium rerum ordine mutatum[1].

Etenim bene est quod adhibita libero arbitrio fides ita in animis hominum fundata est atque stabilita, ut nullis sophistarum inventis labefactari potuerit. Sufficere tamen solam per se fidem aut opinionem nec demonstratione egere qui asserunt, nonne ii facilius æquo concedunt inutilem atque irritam esse philosophiam? Hæc enim hoc sibi munus proponit, ut quæ credamus quæque opinemur recognoscat, vera a falsis secernat, aliaque ex animo expellat et alia confirmet. Quod si nostra de libertate opinio ex omnium philosophorum sententia inanis esse diceretur, num ea in longum tempus firma esset? Aut opinio omni caret fundamento, quod carere philosophiæ est demonstrandum; aut fundamentum aliquod non

1. Voir M. Caro approuvant une opinion de l'abbé Galiani, *Journal des savants*, décembre 1881.

deest, quod invenire et ostendere debet philosophia, nisi vana et assignato muneri inhabilis scientia velit haberi.

Alia et artificiosa quidem doctrina recentioribus temporibus inventa est. Qui omnia necessitate naturæ esse determinata contendunt, ii hinc nos credere esse liberos non negant, illinc quidquid credamus, aut opinemur, aut cogitemus, id esse in nobis causam affirmant opus debitum necessario effecturam. Nonne viam ii apertam relinquunt qua propositum possint assequi qui libertatem defendunt? Utrum liber sis necne quid refert, si te liberum esse credis? Etiamsi quisque ex eo quod sentit putatque necessario agat, tu libere ages, ut qui liberum te credas. Tua de libertate tua opinio causa erit qua voluntas in deliberando agendoque movebitur. Inter varias cogitationes quæ voluntatem ducunt trahuntque, locum notio libertatis obtinebit, et cæteras quidem aliquando poterit adeo supereminere, ut ad tuam tibi libertatem comprobandam, nulla alia ratione, aliquid agere velis. Ita demum in homine nascetur libertatem assequendi facultas, quæ, ut solet, usu invalescet, et ex qua postremo vera libertas constituetur. Libertatis igitur notio nos liberos facit. Sic necessitas libertasque inter se conciliantur[1].

Quantumvis ingeniosa sit illa doctrina, vereor ne multis non placeat. Quis enim libenter concesserit in eo quod ad libertatem spectat opinionem idem efficere atque rem ipsam. Libertatis notio dicitur actorum nostrorum posse

1. Voir A. Fouillée, *Liberté et déterminisme* (1872); *l'Idée moderne du droit* (1878), pp. 233 et suiv.; les *Idées-forces*, *Rev. phil.*, juillet 1879, p. 4.

esse causa : at quotusquisque est, qui agere solitus sit ista notione ductus pulsusque, aut qui in agendo id tantum sibi proposuerit, scilicet suum sibi liberum arbitrium comprobare? In philosophorum potius scholis quam in hominum vita istius modi actiones reperias. Re autem ipsa libertatis notio ad movendam voluntatem non ita multum valet, nec unquam per se nisi inanium aut minimi momenti factorum causa esse potest. Præterea, unde nobis notio illa in mentem venit? Quæ fuit illius origo et principium? Si vera est, id est, si reipsa liberi sumus, non ea notio nos liberos facit; si falsa, si nihil in nobis liberum est, non ex nostra potestate pendet nos fingere esse liberos. Aut inutilis igitur, aut impossibilis erit ista opinio. Fieri non nego ut falsam inanemve opinionem pro vera homines habeant et ea ducantur, sed ea quidem conditione ut esse errorem nesciant[1].

Eæ sunt præcipuæ de libero arbitrio doctrinæ. Aliæ igitur voluntatem humanam ex omni parte esse liberam ponunt; aliæ ex omni parte subditam naturæ seu externæ seu internæ; aliæ partim liberam, partim subditam; aliæ specie ac nomine liberam, re subditam; aliæ ipsam constitutamque libertatem, aliæ tantum acquirendæ libertatis facultatem concedunt. Cujus dissidii etsi multæ esse causæ videntur, princeps tamen ac præcipua facile apparet. Scilicet quum de libertate disputant philosophi, non de una atque eadem re loquuntur. Eorum sententiæ non ut diversæ de una re explicationes,

1. Voir aussi une autre objection faite par M. Janet (*Traité élém. de philosophie*, pp. 318-319), « autre chose est l'action volontaire conforme aux idées, autre chose est l'*automatisme* de l'idée ».

sed ut diversæ diversarum rerum notiones habendæ sunt. Libertatem enim alii vocant voluntatem quamdam a sensu intellectuque et a cætera natura separatam; alii voluntatem cum ratione conjunctam, id est, illam animi supremam partem, quæ naturæ vitæque nostræ præest aut præesse debet; alii rationem solam, sive judicandi, discernendi, eligendique facultatem, cujus imperio parere sit voluntatis unicum munus. Alii denique id quidem liberum esse dicunt, quod mihi in me notum est, scilicet personam suæ sibi vitæ consciam; alii vero id quod mihi est ignotum, scilicet absolutam quamdam naturæ meæ substantiam.

Quamobrem haud dubium est quin utile sit, priusquam de libertate disputetur, quid in nobis liberum aut sit aut esse queat diligenter et accurate definire. Hoc nobis est, sed breviter tantum et strictim, aggrediendum.

CAPUT II

Quod nihil in homine liberum esse possit nisi propria personæ potestas, suî conscia, suî subditarumque potestatum potens, et cogitationis in se reflexæ motrix.

Verè et callidè *Maine de Biran* dixit tres esse libertatis considerandæ modos, seu tres præcipuas vias ad investigandum quid sit in homine liberum, et quomodo sit, scilicet : libertatem inquirere seu in τοῖς φαινομένοις a τῷ ὄντι separatis, seu in τῷ ὄντι absoluto, seu in nostra suî conscia vita, ubi τοῖς φαινομένοις junctum, si non τὸ ὂν absolutum, saltem ὄν τι relativum intuemur [1]. Quæ sit eligenda via exquirere primum oportet, nam quomodo de libertatis definitione consentire possint philosophi, nisi prius de eo quod liberum esse queat consentiant ?

Qui putant nostram suî consciam vitam nosque ipsos nihil aliud esse quam eventorum seriem, et in his eventis libertatem esse quærendam, ii eo necesse deducuntur, ut actionem quasi *phænomenon* sine causa [2], vel, quod

1. Cf. Maine de Biran, *Œuvres inédites*, t. I, p. 284.

2. Ejusmodi esset in *empiricis* doctrinis libertas. Cf. Stuart Mill, *Logique*, trad. franç., t. II, p. 418 ; Herbert Spencer, *Principes de psychologie*, t. I, p. 543.

idem est, quasi *phænomenon* se ipsum movens[1], sibi fingant.

Qui in homine quid absolutum sit perquirunt, ut ibi libertatem adspiciant, ii necesse habent de humanæ naturæ notione detrahere quidquid adventitium sit, aut mutabile, aut caducum, et ideo quidquid per experientiam sive externam sive internam, notum est. Tum nihil superest nisi abstracta quædam natura vel exhausta substantia, quam, ut ex libidine vacuefecerunt, ita rursus ex libidine redintegrare possunt. Quid obstat quin in ea libertatem ante omnia ponant? Illa igitur érit nunc absoluta libertas[2], nunc pura voluntas[3], id est potentia aut omnino indeterminata aut omnino princeps, et non modo nostræ personæ, sed etiam naturæ essentiæve nostræ causa atque origo. Ita non inania verba, sed rem veram exprimemus, quum dicemus : « Tales nos sumus, quales esse volumus » [4].

Quod si quis se intus inspiciet, ut ipse sibi vel suæ conscientiæ existit, in aliam sententiam adducetur. Libertatem quidem non separabit a persona suî conscia, quæ se ipsam simul ac modos actusve suos novit; hanc etiam personam se liberam sicut et se existentem sentire agnoscet. Minimè tamen credendum est, ut et *Maine de Biran*

1. Exempli causa M. Renouvier, *Psychologie rationnelle*, t. I, pp. 300-325, t. II, pp. 72-78.
2. M. Secrétan, *Philosophie de la liberté*.
3. Schopenhauer, *Die Welt als Wille und Vorstellung, Die beiden Grundprobleme der Ethick*.
4. « Je suis ce que je veux, tel est le dernier mot et le premier. » (Ch. Secrétan, *Biblioth. univ.*, et *Revue suisse*, nov. 1863.) — « Er selbst ist wie er will, und will wie er ist. » (Schopenhauer, *Die beiden Grundprobl. der Ethick*, 2[te] Aufl., p. 21.)

et quibusdam aliis philosophis placuit, qui conscientiam suam interrogare cœperit, eum statim apertè et perspicuè videre quid in nobis liberum sit et quomodo sit, et ita omnem dispelli obscuritatem qua illa de libero arbitrio quæstio involuta videbatur [1]. Fuerit argumentum numerus dissimilium de libertate opinionum, quæ tamen omnes pariter conscientia fundatæ dicuntur. Nec mirum est quod diversæ sunt, nam in concreta nostra interiore vita varias potestates apprehendit conscientia, quæ diversorum causæ sunt eventorum quibus constat hæc vita; quærere autem superest inter has potestates quæ sint liberæ et quomodo sint, quod non simplicem conscientiam, sed attentam disquisitionem, longam et prudentem meditationem postulat.

Num liberam esse dicemus musculos movendi potestatem, ut *Maine de Biran* censebat [2], an cogitationes seu

1. « Mettre la liberté en problème, c'est y mettre le sentiment de l'existence ou du *moi*, qui n'en diffère point. » (Maine de Biran, *Œuvres inédites*, t. I, p. 284.) — Etiamsi de libertatis sensu quæstio nulla sit, de libertatis notione aliqua esse potest, sicut et de ipsius personæ essentia. Philosopho non satis est libertatem sentire : eam cognoscere vult et, si possit, intelligere. Ceterum, haud dubium est quin quæstio de libertate et de personæ natura quæstio inter se cohæreant.

2. « La liberté ou l'idée de liberté prise dans sa source réelle n'est autre chose que le sentiment même de notre activité, ou de ce pouvoir d'agir, de créer l'effort, constitutif du *moi*. (Maine de Biran, *Œuvres inédites*, t. I, p. 284.) — « La puissance de l'effort, ou le pouvoir de commencer et de continuer telle ou telle série de mouvements ou d'actions, est un fait de sens intime aussi évident que celui de notre existence même. Il n'est aucune force étrangère à qui cette puissance soit nécessairement subordonnée... Quant à la volonté de l'homme ou la puissance de l'effort, elle demeure indépendante dans le *for intérieur*, hors de toute atteinte comme de toute incitation du dehors. » (*Id.*, p. 214.). — « L'effort voulu inséparable d'une résistance organique ou d'une

repræsentationes movendi possibilitatem, ut *Renouvier* opinatur [1], an, ut *Jouffroy* putabat, potestatem tenendi, regendi, moderandique omnes æquè animi nostri facultates [2]?

An libertatem quæremus minus in movendi, incipiendi regendive potestate, quam in facultate eligendi, aut inter duo plurave possibilia optandi, ut quum delectus est inter aliquid facere et non facere, inter hoc modo et illo agere, inter duos propositos fines, inter bonum et malum? Hanc de libertate opinionem habuerunt scriptores qui nomine *libero arbitrio* usi sunt, et multi etiam recentiores philosophi qui tamen, ut quid sit libertas noverint, conscien-

sensation musculaire dont le *moi* est cause... L'analyse y distingue deux éléments : une force hyperorganique naturellement en rapport avec une résistance vivante. (*Id.*, pp. 216, 217.)

1. Ce qui est libre, c'est la volonté conçue comme *représentation automotive,* ou comme « puissance des représentations autres ou contraires ». Si la volonté produit des mouvements de locomotion, ce n'est pas comme « cause prochaine », mais comme « cause éminente », et « en ce sens seulement qu'elle appelle ou qu'elle cesse de suspendre une représentation, laquelle, en possession exclusive de la conscience, est immédiatement suivie du mouvement; ceci, à raison des lois qui rattachent les fonctions organiques à celles de la sensibilité, de l'entendement et de la passion ». (Renouvier, *Psychologie rationnelle,* t. I, pp. 301, 304, 323, 395, 399.)

2. « La liberté ou pouvoir personnel est cette capacité suprême qui donne aux êtres qui en sont doués le privilège de disposer d'eux-mêmes. » (Jouffroy, *Mélanges philos.*, 4e éd. p. 248.) — « Il ne faut pas confondre les facultés, qui sont le pouvoir exécutif en nous, avec la liberté, qui est ce qui gouverne ce pouvoir, ce qui a en main sa direction. » (*Id.*, *Cours de Droit naturel,* 4e éd., t. I. p. 63.) — « Tantôt nos facultés agissent sous la direction des tendances primitives de notre nature, tantôt sous celle de la liberté ou de la faculté gouvernementale qui n'apparaît que plus tard, et dont l'action, même après son apparition, n'est pas sans intermittence. La liberté suppose la raison et ne vient qu'avec elle. » (*Id.*, p. 65.)

tiam præsertim, sicut et ipse *Maine de Biran* interrogare contendunt[1].

Si nobis placet libertatem idem esse ac potestatem per se inter plura possibilia optandi cum hujus potestatis conscientia, quærere supererit quid sit per se optare. Satisne est si optando aliquis nulla vi externa coactum se sentiat, ut Cartesius opinari videbatur[2]? An oportet etiam a sensuum inclinationumque impulsu solutus om-

1. « Les hommes se regardent comme libres lorsque, attirés par deux objets, ils choisissent l'un plutôt que l'autre, avec la conscience de pouvoir faire le contraire même de ce qu'ils font. » (Victor Cousin, *Premiers essais*, pp. 180, 181.) — « La liberté est un pouvoir également capable de vouloir ou de ne pas vouloir un même acte. » (Desdouits, *de la Liberté et des lois de la nature*, p. 250.) — « La même évidence qui nous apprend à distinguer l'acte libre de son contraire nous apprend également que la liberté consiste dans le choix et non dans autre chose... Être libre, c'est pouvoir choisir. » (L'abbé de Broglie, *le Positivisme et la science expérimentale*, t. II, pp. 208, 209.) — L'abbé de Lignac jam dixerat : « Le pouvoir actif d'opter entre des choses égales, inégales ou opposées, s'appelle la liberté d'indifférence. Mais il faut bien prendre garde de comparer l'indifférence active de l'âme avec l'indifférence passive des corps. — Ce qui fait le vrai caractère de l'indifférence de la volonté, c'est : 1° que l'âme peut mettre à son gré sa béatitude dans celui des trois genres de perfection pour lequel il lui plaît de se déterminer (bien sensible, bien intellectuel, bien moral) ; 2° sa souveraineté sur tous les motifs qui la sollicitent en faveur d'un bien particulier. » (*Témoignage du sens intime*, t. I, pp. 147-149.)

2. « La liberté consiste seulement en ce que nous pouvons faire une même chose ou ne la faire pas, c'est-à-dire affirmer ou nier, poursuivre ou faire une même chose; ou plutôt elle consiste seulement en ce que, pour affirmer ou nier, poursuivre ou fuir les choses que l'entendement nous propose, nous agissons de telle sorte que nous ne sentons point qu'aucune force extérieure nous y contraigne. » (Descartes, 4e méditation, édit. Garnier, t. I, p. 140.) — Item videtur sensisse Maine de Biran, quum scripsit : « La volonté demeure indépendante dans le *for intérieur*, hors de toute atteinte comme de toute incitation du dehors. (*Œuv. inéd.*, t. I, p. 214.)

nino sit, ut Kantius putabat, et ut nonnulli etiam nunc affirmant, qui ideo liberum esse hominem dicunt quod mente præditus est et rationali notioni obsequi potest [1] ? An ille demum per se verè optaret et reipsa liber esset, qui perfectum rationis voluntatisque gradum assecutus esset, qui puræ menti non modo obedire posset, sed utique et constanter obediret, cujus voluntas idem esset ac recta ratio, et ex nulla alia re seu externa seu interna penderet, adeo ut libertas existimanda esset aliqua naturæ nostræ perfectio et quasi divinum quoddam exemplar, potius quam res existens et nobis data potestas [2] ?

1. « L'intelligence crée en moi la liberté : la libérté, c'est ma spontanéité affranchie de l'influence des mobiles et de la fatalité physique » (Caro, *Problèmes de morale sociale,* 1876, p. 216.) — « La liberté est la puissance d'agir d'après des idées ou concepts. » (P. Janet, *Morale,* 1874, p. 470, et *Traité élémentaire de philosophie,* 1879, p. 319.) — « Nous distinguons trois modes d'action différents, et en même temps trois genres de déterminismes : 1° le mode d'action où la cause est en dehors de l'agent : *déterminisme externe* ou *passivité;* 2° le mode d'action où la cause de l'action est interne, mais déterminée par des impulsions : *déterminisme interne* ou *spontanéité;* 3° le mode d'action où la cause est interne, mais déterminée par des idées : *déterminisme rationnel* ou *liberté.* » (P. Janet, *Morale,* p. 470)

2. « Liberté veut dire indépendance... La liberté doit se définir la volonté indépendante ou qui ne dépend que de soi... Non pas l'indépendance par rapport à tout motif, qui ne peut être qu'apparente, et qui serait, d'ailleurs, inutile... Mais l'indépendance par rapport aux motifs inférieurs et extérieurs, aux motifs égoïstes et matériels, car ces motifs expriment non la direction morale et essentielle de la volonté raisonnable, mais la déviation que les fatalités du dehors lui font subir; ils sont donc des servitudes. Dès lors, la vraie liberté, si elle existe, ne consiste pas à pouvoir mal faire, mais à pouvoir bien faire... En faisant le mal, la volonté ferait ce qu'elle ne veut réellement pas; en faisant le bien, elle ferait ce qu'elle veut réellement, ce que veulent les autres volontés, ce que veut l'univers : ce serait une délivrance... Toute détermination n'est pas essentiellement passive et toujours produite par la force du dehors; la vraie détermination pourrait être

Itaque ex aliquorum sententia *phænomena*, ex aliquorum autem opinione *substantia* libera esse deberet; alii liberam esse dicunt *agendi* potestatem, quæ suî conscia est, et hic musculos, illic cogitationes, alibi omnes animi facultates proprio conatu movet; alii verò liberum esse contendunt arbitrium, sine nostram inter plura possibilia, haud sine conscientia et cognitione, *optandi* facultatem. Horum autem aliqui liberam esse eam potestatem putant, quum homo per se, *nulla externa vi cogente*, aliquid eligit; aliqui vero liberam tantum esse affirmant, quum *ab interno sensuum impulsu solutus et rationi consentaneus* esse delectus potest; alii quoque liberam non revera esse, sed *fieri posse*, sibi fingunt, ut homo eo propius ad libertatem accedat, quo puriorem assequatur voluntatem, aut absolutam essentiæ suæ perfectionem ex inferiore natura magis exsolvat. Eæ sunt variæ sententiæ quas nunc dijudicare oportet.

I

Philosophi qui putant omnem notitiam ex experientia sola esse ortam, omnique experientiæ quum externæ tum internæ *phænomena* tantum esse data, ii in conscientiæ

active, produite par la force intelligente du dedans qui se dégage des obstacles, prend de plus en plus conscience d'elle-même et s'impose à tout le reste. Dans ce cas, la volonté serait déterminée par sa seule nature, ou, pour mieux dire, par sa seule spontanéité; or, c'est la détermination par soi qui constitue l'idéale liberté : ne dépendre que de soi, ce serait être indépendant. D'ailleurs, répétons-le, ce n'est là qu'une pure idée. » (A. Fouillée, *l'Idée moderne du droit*, 1878, pp. 233, 235.)

nostræ mutationibus, interiorumve eventorum continuatione, nos nostramque personam simul ac nostram libertatem aperire student. Quum verò observabile, distinctum *phœnomenon* nullum inveniant, quod aut personæ aut libertatis notioni respondeat, has esse notiones tantum et nomina, non res veras, contendunt. Non mihi est in hoc libro vera personæ essentia adversus eos defendenda, quippe quam alias defenderim[1]; neque mihi defendendum liberum arbitrium, ut qui non id omnibus numeris demonstrare, sed tantum cui vi aut potestati id inesse queat indagare mihi proposuerim. Ad propositum satis erit, si notaverimus ab iis scriptoribus negatam vulgo fuisse libertatem, qui in hominis conscientia nihil aliud esse voluerunt quam phænomena.

Etenim secundum *Stuart Mill* actus liber phænomenon est ceterorum simile, huic universæ legi, sicut cetera, obnoxium qua consequens quisque eventus cum antecedentibus necessario connectitur. Quum hujusmodi actum effecimus, nos quidem, si conscientia teste utimur, seu non hunc seu alium efficere eodem momento potuisse credimus; potuisse verò non absolutè aut sine conditione putandum est, sed ea quidem conditione ut voluerimus. Hoc enim tantum mea mihi declarat conscientia, scilicet : « Aliud facere potueram, *si voluissem*[2]. » Velle verò num ex mea omnino potestate pendet? Num mihi quoque volendi potestatis conscius sum? Hoc non potest fieri,

1. Videre licet nostram thesim, *l'Idée de la personnalité dans la psychologie moderne*, præsertim capita de *Stuart Mill, MM. Spencer, Bain, Taine.*
2. Cf. Stuart Mill, *Philosophie de Hamilton*, trad. fr., p. 552.

nam earum rerum quæ sunt, non verò earum quæ erunt aut quæ esse quidem possunt, sed nondum sunt, nobis conscii sumus. Rem actam, non verò possibilem tantum, in nostra conscientia sentimus. Possibilitatem aliquam aut, quod idem est, potentiam quæ non in actu est, in nobis esse non sentimus, sed credimus; credimus quidem quum, ea ante jam usi, inesse nobis eam experientia novimus, sed eam non sentimus nisi quo tempore ea utimur.

Hanc argumentationem quam iterum apud *Schopenhauer* inveniemus, tunc expendemus[1]; nunc quidem hoc tantum nobis animadvertendum videtur, scilicet eam non posse confutari, si omnia, quæ sunt, esse phænomena concedatur. Inter phænomena enim nullus potestati locus est. Si potestas vis aliqua est, quæ phænomena, quorum causa est, antecedit, quæ permanet quum illa mutantur aut evanescunt, quæ illorum stabile principium fundamentumque in se continet, hæc in vera tantum stabilique essentia existere potest, qua sublata, nihil aliud potestas esset quam inanis possibilitas, id est, notio mera aut imago[2].

Censet vero *Stuart Mill* actorum nostrorum ea vocari libera quæ ex nobis pendent, quod est, ex illius sententia, in nostra indole rebus externis affecta vel stimulata causam habere. — At ipsam indolem nonne possumus mutare, et ita nobis plenam ac præstantem libertatem præparare? — Possumus profecto, ait ille, *si volumus;* non volumus autem nisi quum adventitium aliquid voluntatem nostram afficit ou impellit. Hic enim volunta-

1. Voir plus loin, p. XLVI et sq.
2. Voir ma thèse française : *l'Idée de la personnalité dans la psychologie moderne,* pp. 81-85, 336, 374, 400.

tatis motus, sicut phænomenon quodcumque, non potest sine causa fieri, nec esse aliud quam certa mutatio antecedentes mutationes necessariò consecuta [1].

A *Stuart Mill* sententiâ non longe distat *Herbert Spencer* opinio. Veram enim libertatem hic censet nihil aliud esse quam faciendi aliquid, quando nihil obstat, potestatem. Liberum verò dictum arbitrium, quod hic in cupiendi facultate putat esse situm, fictam tantum esse imaginem affirmat. Homo nempe, aut potius suî conscia persona, nihil aliud certo tempore est, quàm concretus compositusque conscientiæ status qui tunc existit, et in quo affectus externis causis sensus, non secus ac proprii ingenii inclinatio, continetur. Qui igitur affirmat homines se ipsos per se ad agendum inducere, et qui eosdem præsente impulsu induci contendit, idem dicunt, siquidem persona est tota atque integra elementorum summa, quæ in conscientia cujusque certo temporis momento sunt, et quæ utique hunc antecedentem conscientiæ statum constituunt, qui consequentis actionis causa necessario est [2].

Si omnia quidem, quæ sunt, phænomena essent, nulla

1. Cf. Stuart Mill, *Système de logique,* trad. fr., t. II, pp. 423-425, et *Philosophie de Hamilton,* pp. 552-554 et les notes.

2. « Il est assez naturel que le sujet des changements psychiques appelés mouvements volontaires dise qu'il veut l'action, vu que, considéré au point de vue psychique, il n'est en ce moment rien de plus que l'état de conscience composé par lequel l'action est excitée. Mais dire que la production de l'action est, pour cette raison, le résultat du libre arbitre du *moi,* c'est dire qu'il détermine les cohésions des états psychiques par lesquelles l'action est excitée, et comme ces états psychiques constituent le *moi* en ce moment, c'est dire que ces états psychiques déterminent leurs propres cohésions, ce qui est absurde. Leurs cohésions ont été entièrement déterminées par l'expérience... » (Herbert Spencer, *Principes de psychologie,* trad. fr., t. I, pp. 544, 545.)

esset naturæ quum externæ tum internæ cognitio, nulla rerum experientia aut intelligentia, ut Kantius aiebat, nisi omnia judicari possent inter se esse connexa, et huic causarum effectorumque legi subjecta qua, quidquid stato tempore contingit, hoc affirmamus necessario ex iis pendere quæ antea facta sunt. Tum actus verè liber effectus esset sine causa ; libertatis notio eadem atque absoluti initii esset, quod, ut et Kantius et W. Hamilton et alii opinantur, nec intelligi nec etiam cogitari potest [1].

M. Renouvier qui ipse seu in externa natura seu in homine *phænomena* tantum aut *repræsentationes* esse putat, veram quidem nobis inesse libertatem asseveravit. Liberum enim actum tanquam *automotivum phænomenon* habuit, sive *repræsentationem* se ipsam, nullis aliis cogentibus, moventem atque in lucem ita producentem, ut sibi conscia sit aliam esse æquè eodem tempore possibilem. Adversus vero hanc sententiam acriter et subtiliter disseruit *M. Fouillée*, cui hujusmodi indeterminata seque ipsam, nulla sufficiente ratione, determinans libertas, nullo modo ab illa trita atque celebrata *indifferentia* differre videtur, quæ ab omnibus ferè philosophis derelicta est, et ab ipso *Renouvier* præstanter

1. Cf. Stuart Mill, *Philosophie de Hamilton*, p. 543. — Objicit quidem *M. Renouvier* in causæ cujuscumque effectu inesse primum aliqua ex parte initium : præterea liberum actum, etsi primum initium sit, non esse tamen sine causa effectum, ut cujus causa sit tota, concreta et composita hominis natura. (*Psychologie rationnelle*, t. II. pp. 86-89.) — Respondere licet istud initium non iis esse absolutum vel incomprehensibile qui veras existere causas propria et spontanea vi præditas concedunt. sed iis esse verè, qui affirmant omnia in interna externaque natura esse tantum phænomena, simplicia aut composita, singularia aut generalia.

impugnata. Altera quidem in eo consistit ut nulla inclinante causa aliquis agat; altera verò ut ex inclinantibus causis unam, nulla suffi iente ratione, anteponat. Num inter eas multum interest? Nonne utraque *sufficientis rationis legem* pariter sustulit[1]?

Si et *phænomenon* tantum esset, quidquid in nobis est, et potestas quæque nihil nisi inanis possibilitas, ut *M. Renouvier* placere videtur[2], haud dubium est quin difficile esset in actu libero aliud videre quam *phænomenon* sine causa, id est absolutum initium, scilicet aliquid impossibile. Harum quidem actionum causam ipsum dicere hominem non licet[3], si quidem is *phænomena* tantum, non veras potestates in se continet. Homo certe *causa eminens* est, ut qui *proximas causas* in se habeat; demonstrare verò superest quæ sit causa proxima. Ea ne est *phænomenon* an potestas? Omne verò *phænomenon* determinata est causa, quæ cum libertate conciliari nequit. Potestas quidem esse causa indeterminata potest, sed ea conditione ut vera et reipsa existens potestas, neu mera possibilitas, sit.

Si autem hæc possibilitas, quam liberæ actioni inesse *Renouvier* dicit, fundamentum haberet non in *repræsentatione* tantum, quæ non res est, sed rei imago, et ficta quidem quum res non existit, aut in eventu conscientiæve statu qui nondum existit, sed in vero stabilique actionis

1. Cf. A. Fouillée, *l'Idée moderne du droit*, pp. 2 5, 206.

2. « Lorsque paraît ce pouvoir, non point une entité, cette puissance, selon toute la valeur logique du mot, cette représentation toujours possible... » (Renouvier, *Psychologie rationnelle*, t. I p. 306.)

3. Vide supra, p. XXVI, notam 1.

centro, sive in *subjecto* sui conscio spontaneaque agendi potestate prædito, aliter sese res haberet, nec videmus quid interesset inter hanc ex parte indeterminatam potestatem quæ ipsa se ex parte determinaret, et vim illam determinantem, quam *M. Fouillée activam determinationem* vocat, quæ esset voluntas se sponte sua determinans, et in qua veram consistere libertatem contendit[1]. Quanquam de voluntate quidem aliquando disserit *M. Renouvier* quasi ad eam sententiam paululum inclinaret[2], in eam tamen prorsus transire abnuit, præ-

1. Vide supra, p. XXI, notam 2.

2. « A cette vue déterministe du monde, le philosophe qui croit sérieusement à la liberté opposera, en ce qui touche l'homme, l'idée d'un être qui est en partie donné à lui-même, et en partie se fait lui-même par sa volonté. Cette volonté, il ne la représentera pas, ainsi que trop souvent on l'a fait, comme un élément d'activité pure, indifférente, arbitraire; non, c'est là une fiction due à la ridicule abstraction des facultés et à la mauvaise habitude psychologique de scinder l'homme en plusieurs pouvoirs qui n'ont rien de commun entre eux, et ne coexisteraient pas même intelligiblement : une sensibilité, une raison, une passion, un vouloir sans motif, etc. Il prendra la volonté pour le nom donné à la propriété qu'a l'homme de *créer,* de faire sortir, en certains cas, des mêmes précédents donnés un fait ou le contraire de ce fait, ambigument, sans prévision possible, même imaginable; enfin, de délibérer de manière à conférer à ses motifs, à ceux qu'il possède, à ceux qu'il repousse, à ceux qu'il évoque, des puissances inégales, imprévisibles, et non pas simplement pour juger lesquels de ces motifs sont prépondérants par anticipation.

« Voilà ce qu'on doit croire quand on croit à la liberté, et voilà ce qu'on peut répondre aux thèses qui confondent l'indifférence avec le libre arbitre. Le libre arbitre est si peu indifférent qu'il est la passion même, le jugement même, la raison même : la passion qui ne se subit pas, qui se fait; le jugement en acte, variable, faillible; la raison personnelle. » (Renouvier, *Critique philosophique*, 25 septembre 1873, Examen de la thèse de M. Fouillée, pp. 126, 127.)

Videre licet quæ idem de *H. Spencer* loco supra memorato p. 8, note 1) judicavit. « *Des états psychiques déterminent leurs*

sertim quia ejusmodi voluntas, tanquam vera potestas, non vero inanis possibilitas, habita, nihil aliud esse quam ficta *entitas* aut *idolum* ei videtur. Non *entitatem* verò

propres cohésions! A mes yeux pourtant, la vérité, c'est cela même, et on ne saurait mieux dire. Il est des états psychiques dont certains éléments ne sont pas prédéterminés par les états antécédents, et peuvent *à volonté* soit y être introduits, soit en être éliminés actuellement. Cette *imprédétermination* est le caractère de ces sortes de phénomène, considérés en eux-mêmes, objectivement. Les admettre ou les rejeter en cette qualité de *possibles ambigus réels,* voilà la vraie pierre de touche de l'affirmation du libre arbitre, de laquelle les considérations purement psychologiques, ou concernant nos facultés, ont si ordinairement embrouillé les termes. Et comme, d'une autre part, le *moi* est à la fois pour lui-même une donnée acquise et une donnée modifiable par lui *à volonté,* on peut parfaitement dire, au point de vue subjectif, que les états psychiques déterminent, dans les cas où il y a lieu à exercice de libre arbitre, leurs propres cohésions. » (*Critique philosophique,* 18 juillet 1878, p. 393.)

Vera de hac re quæstio est, utrum ii *animi status,* qui *ex voluntate* suam ipsi conjunctionem *determinant, phænomena* tantum, an etiam re existens *subjectum,* vel aliquam suî consciam potestatem, ens denique quoddam, in se contineant. Si ibi vera agendi potestas est, non sine causa erit actus liber; alioquin, aut sine causa erit, aut si in animi statu, qui phænomenon tantum est, causam habebit, non erit liber. De sufficientis vero rationis lege, cui non obnoxiæ sunt, secundum *M. Renouvier,* liberæ actiones, tres opiniones excogitari posse videntur : 1° aut nulla ratione fit actus liber; tunc is nobis impossibile aliquid esse videtur, et in vanum *indifferentiæ* somnium relabimur; 2° aut hujus ratio est phænomenon, cogitatio, sensus, singularis et *repræsentabilis* conscientiæ status; tunc necessitatis legi obnoxii sumus, nam etsi has cogitationes, sensus variaque conscientiæ momenta a nobis ita quæsita vel accepta esse aliquis dicat, ut verè *nostra* facta sint, et iis obsecuti *nobis* reipsa obsequamur (M. Ravaisson, *Rapport sur l'état de la philosophie en France,* 1868, p. 223), tamen remota potiusquam sublata difficultas erit, nam dicere reliquum erit quam ob rationem illa acceperimus et *nostra* fecerimus; 3° aut postrema actionis liberæ ratio in ipsa, suî conscia, subjectiva potestate sita est, ut vera libertatis notio in hac definitione contineri videatur : « Une volonté est une subjectivité qui se détermine elle-même. » (Ed. Zeller, *la Philosophie des Grecs*,

aut *idolum* sibi fingunt, qui voluntatem non in abstracta absolutaque vi, sed in ipsa concreta personæ natura sitam esse putant, aut qui eam a *subjecto* suî conscio non modo non sejungunt, sed ne distinguunt quidem, et *subjectum* esse existimant non ignotam quamdam ex libidine excogitatam essentiam, sed expertam perceptamque rem, quæ dum existit se percipit, nec existit verè nisi se eodem tempore percipit.

II

Qui verò, ut *M. Secrétan* et *Schopenhauer*, libertatem esse animi nostri fundamentum et substantiam, et ideo eam seu ante, seu supra, utique extra nostram suî consciam vitam esse sitam opinantur, iis objicere licet quod supra de Kantiana libertate judicavimus, scilicet *libertatem extra conscientiam positam non esse nostram*[1]. Ita

trad. Boutroux, introduction, p. xx.) Hanc quidem postremam rationem, quum in subjecto, quatenus subjectum est, sita sit, neque intelligere neque nobis *repræsentare* possumus. Nec mirum est si non possumus, quum ad hoc oporteret subjectum, ut *subjectum*, cogitationis *objectum* fieri, quod secum repugnat. (Voir notre travail sur l'*Idée de la personnalité*, etc., pp. 209-214.) Actus igitur liber, quamvis nunquam omni ex parte explanatus et intelligibilis esse possit, non tanquam impossibilis aut secum repugnans habendus esset.

Adde quod omnis ejusmodi actus, præter hanc postremam rationem quæ non *repræsentari* potest, ex aliis rationibus pendet quæ possunt *repræsentari*, et per quas ex parte intelligibilis et explicabilis est : hæ rationes, non omni ex parte *sufficientes*, sed aliqua ex parte *determinantes*, non aliud sunt, ut infrà videbimus (vide caput III), quam *repræsentatos* optatosque nostrarum actionum fines, quos ipsi nobis proposuimus.

1. Vide supra, p. XI.

et ipse quoque existimavit *M. Fouillée*, qui adversus istam opinionem prudenter et commodè disputavit, et cujus adeò dilucida præstansque fuit argumentatio, ut mihi nihil melius fore videatur quàm eam hoc in loco ex parte referre.

« Que le principe de la nature en général et de notre « *nature* en particulier soit inconnu et inconnaissable, « conséquemment négatif pour nous et indéterminé, on « peut encore le concéder ; mais que le principe de notre « *moralité* libre, que la liberté même qui nous constitue « des êtres moraux soit inconnaissable, voilà qui est « tout autrement difficile à accorder. Ce fait même que « vous placez le *noumène* dans la nuit de l'intelligence « ne le rend-il pas incompatible avec la liberté morale, « telle que nous croyons l'apercevoir en nous et telle « que nous pouvons logiquement la concevoir ? En fait, « ce n'est jamais dans ce que nous ne connaissons pas et « dans ce dont nous n'avons pas conscience que nous « nous attribuons la liberté. D'autre part, au point de « vue logique, nous ne pouvons être libres dans l'in- « connu, dans les ténèbres, là où nous ne nous connais- « sons plus, libres sans le savoir et sans en avoir con- « cience ; car la réelle liberté consisterait, par définition, « à agir véritablement soi-même, à connaître dans leur « cause les effets que l'on produit, à les voir par consé- « quent en soi. On n'a jamais appelé libre celui qui fait « une chose sans savoir ni qu'il la fait, ni comment ni « pourquoi il la fait. Me rendrez-vous plus libre et plus « responsable de mes actes en me mettant un bandeau « sur les yeux, sous prétexte que je ne serai plus né-

« cessité par les lois de la lumière? Je le serai alors par « des lois encore plus gênantes, celles de la nuit[1]. »

Eam tamen obscuram et secum repugnantem sententiam apud *M. Secrètan* invenimus. Minimam tantum libertatis partem hic existimat conscientia sive intimo sensu esse perceptam. Libertas nempe ex duobus elementis constat, scilicet ex actione spontanea et delectu. In nobis quidem vim aliquam inesse sentimus, quæ sponte agere potest, quæ voluntas nominatur; eligendi verò liberè potestatem non percipimus, ut qui ex nostra natura, sive ex eo quod sumus eligamus[2]; posse verò naturam nostram ex voluntate nostra creare, vel tales esse in ipso essentiæ nostræ fundamento quales volumus, id non intimo sensu experimur. In eo tamen vera libertas consistit. Is enim liber est, qui nulla externa ratione, nulla internæ naturæ vi ducente aut determinante, vitam essentiamque suam ipse per se et sponte sua vult. Non modo sensum intimum, sed etiam intellectum omnesque alias animi facultates antecedit voluntas, quippe quæ ipsius animi principium et origo putanda sit. Dixerat et præstanter quidem *Royer-Collard* : « La dernière raison des déterminations libres de la volonté est en elle-même, et s'il « était possible qu'on la découvrît ailleurs, cette décou- « verte serait celle de la fatalité universelle. » Hoc pror-

1. A. Fouillée, *Revue philosophique*, avril 1881, pp. 360, 361. — Quod si hanc tam veram et perspicuam unius ex libertatis conditionibus notionem fideliter in omnibus suis scriptis servavisset. *M. Fouillée* haud facile adscriberetur, ut a *M. Janet* adscriptus est, in eorum philosophorum numerum qui in doctrinam a *M. Secrètan* expositam inclinant. Vide P. Janet, *la Philosophie française contemporaine*, 1879, pp. 86, 87, 90 et 93.)

2. Ch. Secrétan, *Philosophie de la liberté*, 2e édit., l'*Idée*, p. 37.

sus laudat *M. Secrétan,* et in suam sibi sententiam interpretatur, dum voluntatem non ut concretam potestatem aut potius ut ipsam, quatenus volentem, consciam suî personam, sed ut abstractam absolutamque vim ac substantiam habet. Voluntatem oportet, inquit, et in se ipsa suas radices habere, et *substantialem* esse, intelligentiam verò aliquod tantum esse voluntatis *attributum* et *phænomenon* [1]. Hæc voluntas igitur est absoluta quædam libertas, quæ ne cogitationibus quidem ab ipsa alienis ducitur, quæ talis est qualem se esse vult, quæ ne est quidem nisi quoad esse vult, quæ cur existat et cur talis existat ipsa causa est, quæ denique est et naturæ et vitæ et actionum suarum creatrix. Sibi scilicet suam dat intelligentiam, dum in se reflectitur, inclinationes autem, cupiditates, consuetudines omnesque suos habitus, dum nunc huc nunc illuc tendere ipsa sponte sua assuescit [2].

1. « La nécessité est la loi de l'intelligence, comme Scot le fait très judicieusement observer. Que si donc la volonté trouve primitivement sa règle dans l'intelligence, elle est, par là même, assujettie à la nécessité (*suit le mot de Royer-Collard*). La métaphysique doit tenir compte d'un mot si vrai. Eh bien ! si la dernière raison des actes de la volonté est en elle-même, c'est que la volonté a sa racine en elle-même, c'est qu'elle est substantielle, et, comme l'intelligence ne peut être une autre substance, il faut reconnaître en elle un caractère, un attribut, un phénomène de la volonté. L'intelligence est la réflexion de la volonté sur elle-même ; elle est déterminée de sa nature, déterminée par la volonté dont elle procède. » (*Idem,* p. 88.)

2. « Tout est volonté dans son essence ; les degrés de l'être sont les degrés de la volonté. Être, c'est vouloir son existence, laquelle consiste donc à être voulu : telle est la substance ; — vivre, c'est se vouloir, vouloir sa substance ; — être libre, c'est vouloir sa propre vie, se faire vouloir... Ou la force veut son effet, ou bien elle ne le produit pas d'elle-même... Vouloir suppose toujours la possibilité métaphysique de ne pas vouloir, mais non la possibilité de fait. En fait, ce vouloir qui constitue la substance peut

In ista doctrina duæ partes vel facies discernendæ mihi videntur : 1° aliqua libertatis *ideæ* expositio, explicatio deductioque, quasi extra omnem revera existentem naturam, et in abstracta absolutaque essentia positæ; 2° quædam de natura conditionibusque libertatis, qualis in homine est aut esse potest, sententia.

Si priorem quidem faciem consideraveris, unum ex

être un vouloir nécessaire, c'est-à-dire un vouloir déterminé, un vouloir fixé, un vouloir voulu. Il est voulu tel qu'il est, ou tel qu'il veut, et, par conséquent, il ne peut pas vouloir autrement.

« L'expérience de la vie nous offre des exemples très propres à faire entendre comment une activité libre à son origine peut devenir nécessaire. Ainsi, les habitudes et les passions. Nos passions sont des directions déterminées de la volonté, des volontés raidies, solidifiées... Primitivement, elles procèdent de notre volonté, qui s'est d'abord portée dans la direction où elles nous entraînent; elles sont une transformation, une aliénation de notre liberté...

« L'observation de ces faits ouvre quelque jour sur le problème de savoir ce que sont, dans leur principe, les forces de la nature... Nous pouvons concevoir la simple substance comme une volonté particulière, primitivement déterminée dans sa direction par l'esprit, mais qui, séparée de sa source, a perdu toute liberté par le fait même de son émancipation. L'esprit, en revanche, est la volonté concentrée sur elle-même, se réalisant sans cesser d'être puissance, parce qu'elle se réalise dans les volontés multiples qu'elle relie et qu'elle possède. Ces volontés multiples, déterminées et néanmoins déterminables, distinctes mais non séparées de l'unité du *moi*, sont les facultés, les puissances de l'esprit. La réduplication par laquelle l'unité permanente se distingue de ses actes et de ses états successifs s'appelle l'intelligence ou la conscience. Toute intelligence est conscience, et toute conscience réflexion. Ainsi, l'esprit est intelligence parce qu'il est libre, c'est-à-dire parce qu'il se possède lui-même. Ce n'est que dans ce degré supérieur que la volonté mérite proprement son nom, parce qu'alors seulement elle devient pénétrable à la conscience qu'elle produit. Si nous avons désigné les simples forces par le même terme, c'est pour marquer l'identité de leur origine et de leur essence. Où les espèces sont des degrés, la meilleure donne son nom au genre. » (*Id.*, pp. 388-393.)

pulcherrimis, quæ unquam philosophia ædificaverit, constructum a *M. Secrétan* systema videbitur, et etiamsi nonnulla inter se pugnantia deprehenderis, ea tamen redarguere velle vanum esse et inutile inceptum existimabis[1].

Ex altera autem parte aliter se res habet. Hujus philosophi sententiam cum re ipsa conferre, num inter se congruant quærere, utique possumus et debemus. Quod si vero ejus libri loca supra memorata et quædam alia attente perlegeris, facile agnosces voluntatis nomen pluribus et quidem diversissimis rebus ita datum fuisse, ut ista libertas, quæ ut intimum naturæ nostræ fundamen-

1. Omnis *a priori* constructa philosophia est poemati similis, quod quidem aliqua ex parte imperfectum dici et ostendi potest, non verò redarguitur, aut eo tantum modo redargueres si in ejus locum aliud pulchrius afferres. — Contra *M. Secrétan* disputans olim *M. Janet* (*Revue des Deux-Mondes*, 15 avril 1877), operam dederat ut libertatem demonstraret nullam esse ab intelligentia sejunctam, et quum multa, tum hoc aptissimè objecerat : « Comment dire : *Je suis ce que je veux*, si l'on est incapable de savoir ce que l'on veut être ? » Id autem quam qui maxime senserat ipse *M. Secrétan*, qui, ut *M. Janet* non nescit, hæc in eodem suo libro scripserat : « Il n'est pas besoin d'un nouveau travail d'analyse pour faire voir que la liberté implique l'intelligence. Une liberté sans intelligence est impossible ; elle se confondrait avec le hasard, qui n'est pas une forme de la causalité, mais sa négation... Une puissance qui déterminerait elle-même sans conscience la loi suivant laquelle elle se réalise ! Il n'y a là que des mots contradictoires. Non, l'être libre se rend compte de ce qu'il veut ; l'être libre est intelligent ; il est inutile d'insister sur ce point... » (Secrétan, *op. cit.*, p. 403.) — Nonne hic locus cum quibusdam aliis quos supra citavimus manifesto pugnat ? Pugnare *M. Secrétan* non negat, et ad *M. Janet* rescribit : « Je n'attribue point à l'absolue liberté un sens dogmatique, mais uniquement un sens critique ; j'y vois moins une connaissance que la limite naturelle de nos connaissances, et je suis disposé à croire qu'en effet, lorsqu'on essaierait de préciser cette idée comme si on en possédait l'intuition, on éviterait malaisément de se contredire. » (Lettre citée dans la *Critique philosophique*, 23 août 1877, p. 51.)

tum proferebatur, nihil aliud forte sit quam dissimilium rerum sub eodem nomine mixtura.

1° Quum affirmat *M. Secrétan* voluntatem esse animi nostri substantiam, per multiplices ei subditas voluntates, quæ animi facultates sint, in actu existentem et operantem, voluntatem vocat *vim naturalem,* sive animo innatam agendi potestatem, quæ multis variisque instrumentis utitur [1];

2° Quum consuetudines cupiditatesque dicit esse concretas quasdam et quasi solidatas voluntates, voluntates nominat *acquisitas vires,* seu diversas nostras experientia comparatas agendi potestates, diversosque usu informatos animi nostri habitus [2];

3° Quum contendit nihil nos facere nisi quod ipsi velimus, id autem non a nobis factum esse, quod non volentibus nobis factum est, non discernit ille quod inconsulte et improviso agimus ex eo quod cum consilio et deliberatione efficimus, et *propriam actionem* quamcunque ad voluntatem refert [3];

4° Voluntatem denique appellat *summum propriæ actionis gradum,* id est in persona suì conscientia, suî possessione et suorum actionem provida cognitione prædita, cum consilio junctam agendi protestatem [4].

Num legitimum est quatuor ita dissimiles notiones eodem vocabulo designare [5]? Libera certè sunt nomina, sed

1. Ch. Secrétan, *Philosophie de la liberté, l'Idée*, p. 392.
2. *Id.*, pp. 390-91.
3. *Id.*, p. 381.
4. *Id.* pp., 392, 393.
5. Quod ad diversas nostras agendi potestates attinet, videre licet nost. op. *l'Idée de la personnalité,* etc., ch. XI, art 4, 5 et 6, pp. 355-392.

nihilominus imprimis cavere debet philosophus ne nominibus permixtis notiones quoque permisceat. Confitetur quidem *M. Secrétan* summum propriæ agendi potestatis gradum nomine voluntate solum esse dignum, neque se idem nomen quibuscunque viribus alia ratione dedisse, nisi ut et ex eadem esse ortas origine, et ex eadem essentia constare, significaret. Ubi species, inquit, gradus tantum sunt, quæ est præstantissima suum nomen dat generi [1]. — Quis verò has species concesserit esse tantum gradus? An inter vim cæcam et conscientia intellectuque præditam potestatem gradus tantum interest? Ex eo sequeretur ut et conscientia et intelligentia nihil nisi gradus essent. Præterea quum *M. Secrétan* existimet libertatem quidem nullam esse ab intelligentia sejunctam [2], voluntates verò quasdam existere ab intelligentia destitutas, ex eo fieret ut quædam liberæ, quædam verò non liberæ voluntates essent; quas quidem esse ipse fatetur, quum voluntates aliquas dicit esse determinatas, fixas atque statutas, quæ ideo non aliter ac volunt velle possunt [3]. Cur ergo liberis et non liberis idem nomen assignat? Libertas tamen, quæ aliis inest, aliis verò deest, non merus gradus est, utpote quæ tanquam vera et suprema essentia proferatur.

Haud me quidem fugit *M. Secrétan* affirmavisse quamque voluntatem, saltem in suo principio, esse liberam [4]. Inter voluntates enim eas quæ se volunt, et eas quas vo-

1. Vide supra, p. XXXIV, not.
2. Vide supra, p. XXXV, not.
3. Vide supra, p. XXXIII, not. 2.
4. « Il est impossible de concevoir une volonté qui ne soit p libre, du moins dans son principe. » (Ch. Secrétan, op. cit. p. 382

lunt aliæ, discernit, priores quidem in se liberas, alteras verò non in se, sed in illis voluntatibus liberas, quæ eas aut volunt aut voluerunt. Ea ratione consuetudines, cupiditates omnesque naturæ nostræ habitus voluntates sunt, quæ liberæ non jam sunt, sed fuerunt, seu in nobis, seu in parentibus majoribusque nostris. Ipsa nostra natura ex voluntate divina orta esse potest et ibi in libera voluntate primam causam habere. Multiplices quoque naturæ externæ vires pro fixis statutisque voluntatibus licet ducere, quæ liberæ fuerint in prima voluntate quæ eas voluerit. Itaque libera verè esset, seu in se, seu in suo principio, quæque voluntas. Omnia quæ sunt in libertate primum sibi fundamentum, in voluntate essentiam suam haberent.

Me piget etiamnunc de nominibus controversiam instituere. Voluntas quædam volens et liberè agens, est propria entis, in quo inest, voluntas; voluntas autem fixa et statuta, quæ omnia quæ facit ex necessitate facit, in natura quidem quæ eam voluit voluntas esse potuit; in natura verò ubi non liberè vult, ubi nonnisi ex necessitate agit, non reipsa voluntas est. Non licet dicere in hac minorem, in illa majorem esse voluntatis gradum : hoc verò dicendum est, scilicet actualem voluntatem in altera adesse, abesse autem ab altera. Mira igitur licentia est, quum utraque pariter voluntas nominatur, ex quo sequitur ut nunc *voluntaria* nunc *involuntaria* voluntas existimanda sit. Unum verò utrique nomen idoneum esse videtur, scilicet activæ vis aut agendi potestatis nomen. Hoc nomine designandum est genus, cujus species quædam est ea suî conscia, in se reflexa, seque consilio et

libertate determinans potestas, quæ sola verè voluntas nominanda est.

Animi nostri principium et essentia non voluntas, sed vis activa est, cum aliis quibusdam conjuncta, aliis mota et alias ipsa movens; facultates nostræ vires quoque activæ sunt, vis prioris quasi formæ et instrumenta; consuetudines cupiditatesque sunt quidam activarum virium inter se connexarum habitus, qui primum partim voluntarii, partim fortuiti fuerunt, usu autem cæci necessariique motus facti sunt; naturalis verò animi nostri habitus quisque, aut inclinatio, activæ quoque vis quasi directio et coagmentum est, quod aliqua olim voluntate, non nostra verò, statutum licet excogitari. Activa potestas conscientiam et intelligentiam antecedit, earumque causa est. Voluntatem quoque antecedat necesse est[1]. Activam vero potestatem nullam quidem esse completam, verè principialem, sibi sufficientem, nisi ea libera

1. « La volonté, dit M. Ravaisson, se trouve dans la réflexion de l'activité sur elle-même. Elle suppose donc un penchant involontaire antérieur, qui en est la matière et la source. » (*De l'Habitude*, p. 34.) — « L'acte primitif, dit de son côté M. Secrétan, par lequel l'être se pose lui-même, ne peut pas être une réflexion, c'est nécessairement une énergie pure et directe, un vouloir. » (op. cit , p. 394). — Haud dubium est quin motus directus motum in se reflexum antecedere debeat : hac vero ipsa ratione actio primitiva non esse voluntatis actio potest, quippe quum *velle*, nisi hoc vocabulum omni vere experta, nota, et rei respondente sententia destitutum est, simul ac propositos fines organaque mihi repræsentata, aliquem meî in me *reflexum* significare debeat, quo me ipse per me ad agendum inducere possim, neu *directe* et *passive* sequar sensûs, affectûs cogitationisve impulsum, qui alienus est impulsus, quoad a me in me reflexo non judicatur. Hoc in loco, ut in omnibus ferè ejusdem libri locis, nomen voluntas nihil aliud significat quam inconsultam involuntariamque *spontaneitatem*, activam vim quamdam ex libera olim

sit aliqua voluntas, hoc *metaphysicæ* concedimus[1], ea tamen conditione ut eam voluntatem non esse nostram nobis rursus concedatur.

Non secus ac *M. Secrétan, Schopenhauer* voluntatem primum esse naturæ cujusque fundamentum, intellectum vero aliquam esse, in quibusdam naturis, ex voluntate ortam derivatamque formam contendit. Imo intelligentiæ tertium tantum locum tribuit, quum voluntas primo corpus creet, deinde ex corpore, quibusdam datis conditionibus, intelligentia procedat. Hujus autem de libertate sententia a *M. Secrétan* opinione, ex aliqua quidem parte, maxime discrepat. Ille enim non liberam esse voluntatem intelligentia destitutam, veram autem libertatem suî conscio, cogitanti et deliberanti subjecto, sive personæ, inhærere putat. Hic, contra, liberam eam tantum esse voluntatem opinatur, quæ simplex, ab intelligentia conscientiaque pura, absolutaque in se existat; quæ verò in *sensibili mundo* et in conscia suî persona appareat, hanc non esse liberam contendit; quod liberum arbitrium vocamus, id nihil esse nisi vanam falsamque imaginem.

Satis superque demonstratum est nullam posse existere sine intelligentia libertatem, nec in ea re iterum atque

voluntate ortam, sive quia eam ipse Deus, sive quia causæ secundæ liberè voluerunt, quæ verò non est libera in ente cujus substantia est, quæ ideo non est hujus entis propria voluntas, quæ denique in alieno principio libera et voluntaria est, in propria verò essentia, involuntaria, determinata, necessitatique obnoxia.

1. « Mais si l'activité est la vraie réalité, il n'est pas moins évident que la véritable activité ne se trouve que dans la liberté. » (Ch. Secrétan, op. cit., p. 367.)

iterum confirmanda operam consumemus. Hoc ceterum et ipse demonstravit unus ex celeberrimis philosophis qui *Schopenhauer* secuti sunt, *M. de Hartmann* dico, cujus de ea re argumentatio, a me alias memorata[1], irrefutabilis videtur. Haud me quidem fugit ab eodem rursus et intelligentiam et voluntatem quasi a conscientia separabiles habitas fuisse; meam verò de ista opinione sententiam satis exposui, nec ad istam rem iterum reverti oportere videtur[2].

Utilius certe erit argumenta perpendere a *Schopenhauer* eo deducta, ut liberum arbitrium esse in nostra suî conscia vita impossibile confirmaret. Quorum quidem præcipua hæc sunt : 1° actus verè liber esset sine ratione actus, id est aliquod cum certissima humanæ mentis lege repugnans prodigium; 2° conscientia quidem scimus, quod velimus, id nos, si nihil obstet, facere posse; velle verò, nulla impellente aut inducente ratione, sponte nostra posse, id nescimus; 3° ex eo quod sumus, sive ex nostra natura, agimus; nostra autem natura, in sensibili mundo suîque conscia vita, non ex nobis pendet neque nostrum opus est; in hac ergo personali vita non liberi sumus.

1° Summa mentis humanæ regula, inquit ille, causarum est et effectuum lex, quæ, quum *a priori* vera sit, in universum et sine exceptione vera est. Secundum hanc legem, nulla res in universa rerum natura mutatur, nisi antecedente statim tempore alia mutata est, quæ quidem mutatio priorem aliam postulat, hæc quoque aliam, et ita in infinitum. Præterea, eadem lege, priorem mutatio-

1. *L'Idée de la personnalité*, etc.. ch. VII, art. 3, pp. 128-130.
2. *Id.*, ch. VIII, art. 1 et 5, pp. 142-166, 198-214.

nem posterior protinus sequatur necesse est[1]. Ea verò antecedens mutatio, qua necessaria fit mutatio consequens, causa esse dicitur. Plures quidem sunt causarum species, scilicet : *causa physica*, ut quæ in rebus vita carentibus inest; *stimulus*, ut qui in viventibus corporibus deprehenditur; *ratio percepta*, vel sensus, ut in animalibus, et *ratio cogitata*, vel mens, ut in homine. Liberum se esse homo credit, quia cogitatione ductus contra sensûs impulsum reniti potest; comparativa autem tantum ea libertas est, ut quæ animalibus desit, nam revera abstractæ quoque cogitationis, non minus quam sensûs aut cujuslibet causæ, necessaria actio est. Omnis deliberatio aliquod est quasi cogitationum rationumque certamen, in quo suam quæque vim adversus voluntatem usque eo experitur, quoad ea præpolleat quæ validissima est[2].

1. Schopenhauer, — *Die beiden Grundprobleme der Ethick*, 2te Aufl., pp. 27-28.

2. *Id.*, pp. 29-36. — « Motiv wird der Gedanke, wie die Anschauung Motiv wird, sobald sie auf den vorliegenden Willen zu wirken vermag. Alle Motive aber sind Ursachen, und alle Kausalitæt führt Nothwendigkeit mit sich..... Das abstracte, in einem blossen Gedanken bestehende Motiv ist eine æussere, den Willen bestimmende Ursache, so gut wie das anschauliche, in einem realen, gegenwærtigen Objekt bestehende..... Die Deliberationsfæhigkeit giebt in der That nichts Anderes, als den sehr oft peinlichen Konflikt der Motive, dem die Unentschlossenheit vorsitzt, und dessen Kampfplatz nun das ganze Gemüth und Bewusstsein des Menschen ist. Er læsst næmlich die Motive wiederholt ihre Kraft gegen einander an seinem Willen versuchen, — wodurch dieser in die selbe Lage geræth, in der ein Kœrper ist, auf welchen Verschiedene Kræfte in entgegengesetsten Richtungen wirken, — bis zuletst das entschieden stærkste Motiv die andern aus dem Felde schlægt und den Willen bestimmt; welcher Ausgang Entschluss heisst und als Resultat des Kampfes mit vœlliger Nothwendigkeit eintritt. » (*Id.*, pp. 35, 36.)

Nulla vero causa effectum profert, nisi adest vis aliqua, quam causa moveat et ad agendum excitet. Ita quoque cogitatarum rationum momenta nil aliud quam naturalem vim ciere solent, quæ voluntas est. Singularis et propria cujusque voluntatis essentia indoles est, sive cujusque personæ natura. Quum voluntatis natura in aliis alia sit, rationum quoque momenta in aliis alios effectus gignere necesse est. Voluntatis verò natura et rationum momenta, quibus ea in aliis aliter excitatur aut impellitur, duæ sunt certæ conditiones ex quibus actio quæque humana necessario consequitur [1].

Quod ad illam de rationum momentis quæstionem attinet, ad quam in tertia hujus libelli parte revertendi locus erit [2], nunc quidem hoc tantum animadvertendum vide-

1. « ... Gerade so ist iede That eines Menschen das nothwendige Produkt seines Charakters und des eingetretenen Motivs. Sind diese Beiden gegeben, so erfolgt sie unausbleiblich. Damit eine andere enstænde, müsste entweder ein anderes Motiv oder ein anderer Charakter gesetzt werden. » (*Id.*, p. 56.)

Leibnitii autem qui dixerat a rationibus inclinari, non vero necessario trahi voluntatem, minime probat sententiam : « Er sagt næmlich : Omnes actiones sunt determinatæ, et nunquam indifferentes, quia semper datur ratio inclinans quidem, non tamen necessitans, ut sic potius, quam aliter fiat. (Leibnitz, *de Libertate*, op. édit. Erdmann, p. 669.) Dies giebt mir Anlass zu bemerken, dass ein solcher Mittelweg zwischen der oben gestellten Alternative nicht haltbar ist und man nicht, einer gewissen beliebten Halbheit gemæss, sagen kann, die Motive bestimmten den Willen nur gewissenmaassen, er erleide ihre Einwirkung, aber nur bis zu einem gewissen Grade, und dann kœnne er sich ihr entziehen. Denn sobald wir einer gegebenen Kraft Kausalitæt zugestanden haben, also erkannt haben, dass sie wirkt; so bedarf es, bei etwanigem Widerstande, nur der Verstærkung der Kraft, nach Maassgabe des Widerstandes, und sie wird ihre Wirkung vollenden. Wer mit 10 Ducaten nicht zu bestechen ist, aber wankt, wird es mit 100 sein, u. s. f. » (*Id.*, p. 15.)

2. Vide infra, cap. III, art. 2.

tur, scilicet ista argumenta nonnisi in notionum confusione esse innixa. Rationes enim tanquam alienæ vires habentur, aliam quamdam vim, quæ est voluntas, moventes; voluntas vero, quasi aliqua ab intelligentia sensuque separata essentia, quam prior ducere, alter autem impellere possit; libertas denique, ut quædam ficta falsaque potestas, quæ in creandis tantum sine causâ et ratione actionibus consistat. Inde difficultates ortæ sunt quæ explanari non posse videntur.

Eæ vero difficultates fortasse removebuntur, si notiones ex quibus natæ sunt reformaveris. Si nempe libertas non aliqua est agendi sine causa et ratione, sed hominis se per se determinandi potestas, num ea est res secum repugnans? Non repugnantem certe plerique homines putant, quippe qui ejusmodi libertatem sibi inesse credant; reliquum tantum est quærere quid sit homini se per se determinare, an id possibile sit et quomodo sit[1].

Si causæ quoque quibus ad agendum inducimur non alienæ vires sunt, sed excogitati cupitique fines, quos ipsi nobis proposuimus; si ii fines, ut cogitati tantum et cupiti, sive ex parte adventitii, inconsultarum quidem actionum causæ esse possunt, voluntariorum vero factorum tum demum rationes fiunt, quum nobis a nobismet ipsis ita propositi fuerunt, ut ii quædam nostræ voluntatis statuta et quasi determinationes essent, num alieno impulsu trahimur, nec a nobis jam determinamur, quum ad eos tendimus aut eos persequimur? Quærere tantum reliquum est quid sit fines mihi per me proponere et quomodo hoc possibile sit[2].

1. Vide infra, XLVII et sq. et Cap III.
2. Vide infra, Cap. III.

Si denique voluntas nulla vis est abstracta ab intellectu sensuque sejuncta, sed quædam actionum, vitæ essentiæque nostræ forma, scilicet ipsa nostra concreta persona, quatenus, seu aliquid agens, seu de agendo cogitans, ita in se reflectitur, ut se actusque suos ipsa regat; si ideo voluntas et sensu et intellectu et conscientia, simul ac vi activa et spontanea, prædita potestas est, cur eam ut determinatam tantum, non vero ut determinantem, nobis cogitatione fingamus? Ipsa quidem activa determinatio aliqua est mutatio quæ non potest sine ratione fieri; rationem vero suam nonne potest habere, ut supra exposui [1], partim in excogitatis cupitisque finibus aut in antecedentibus voluntatis decretis, partim in ipso suî conscio *subjecto*, quatenus id *subjectum* est, suî potens, spontanea agendi potestate præditum? Ita ex duobus elementis constabit ratio vere sufficiens, quorum unum quidem distincte excogitari poterit, quia ad ea pertinet, quæ cogitationi esse objecta solent, alterum verò non poterit, quia *subjecto* inest, nec potest a *subjecto* disjungi, ut tanquam *objectum* ponatur, et eo modo distincte cogitatione apprehendatur. Ita libera determinatio non omni quidem ex parte explanabitur; cur verò in ea omnino explananda perseveres, si quidem ex evidente argumento intelligis quare nequeat penitus explanari? Alia res est, quum aliquid sine ratione factum dicis, alia, quum affirmas ob rationes factum, quarum pleræque repræsentari et intelligi possunt, una autem, et postrema, non potest, si quare non possit manifesto intelligitur [2].

3. Vide supra, p. XXIX, not.

1. Videre licet nost. op. *l'Idée de la personnalité*, etc., ch. VIII, art. 5, *la Conscience du vouloir*, pp. 198-214.

2° Conscientiæ de libertate testimonium *Schopenhauer* infitiatur. Agere nos posse, inquit, non velle posse, nobis conscii sumus. Scilicet quum aliquid egi, me aliud, *si voluissem,* agere potuisse, non verò reipsa velle potuisse, mihi conscius sum. Quomodo ex voluntate nostra actiones nostræ pendeant, non verò quomodo ex rationibus ipsa voluntas pendeat, conscientia nos docet, nam hoc ad externam tantum experientiam pertinet[1].

Primum hoc respondere liceret, scilicet eam libertatem, cujus nobis conscii sumus, non aliquam exterius agendi potestatem, sed illam esse intimam libertatem, quam sibi Stoïci vindicabant, et quæ in eo consistit ut sensus cogitationesque, hoc est, ea quæ sola nostri juris sunt, regamus aut moderemur[2]. Hoc autem responso quæstio non clauderetur, nam rursus eidem *Schopenhauer* contendere liceret nos id quidem conscientia scire, scilicet cogitationes, sensus intimasque nostras vires a nobis, *si velimus,* posse moveri et gubernari, non verò

1. « Dass er, in einem gegebenen Fall, Entgegengesetztes *wollen* kœnne, ist schlechterdings nicht in obiger Aussage enthalten, sondern bloss dies, dass von zwei entgegengesetzten Handlungen, er, wenn er *diese will,* sie thun kann, und wenn er *iene will,* sie ebenfalls thun kann : ob er aber die eine so wohl als die andere, im gegebenen Fall, *wollen kœnne*, bleibt dadurch unausgemacht und ist Gegenstand einer tiefern Untersuchung, als durch das blosse Selbstbewusstsein entschieden werden kann. Die kürzeste, wenn gleich scholastische Formel für dieses Resultat würde lauten : die Aussage des Selbstbewusstseins betrifft den Willen bloss *a parte post;* die Frage nach der Freiheit hingegen *a parte ante.* — Also iene unleugbare Aussage des Selbstbewusstseins, « ich kann thun was ich will », enthælt und entscheidet durchaus nichts über die Freiheit des Willens... » (Schopenhauer, *op. cit.*, p. 23.)

2. Id nempe responsum est a *M. Pillon, Critique philosophique,* 25 octobre 1877, pp. 199-207.

scire an ipsi sponte nostra velle, et hoc aut illud æque velle possimus. Argumentum quidem quod protulit ille non valet. Nempe externæ res conscientia nostra non deprehenduntur; eæ vero voluntatem nostram nonnisi sensibus aut cogitationibus movent quas ipsæ in animis nostris excitaverunt; harum nobis cogitationum sensuumque, haud secus ac intimarum actionum, conscii sumus, et ideo quemadmodum ex iis voluntas nostra pendeat intimo sensu aut interna observatione aperire possumus.

Non autem satis est voluntatis libertatem sensu intimo esse noscibilem; an verè nota sit nunc est inquirendum. Quum hoc dico : « Ego hoc aut illud agere possum, *si volo* », ea conditio, « *si volo* », num ut ex me pendens, an non, percipitur? Quod si ut non ex me pendens perciperetur, nihil omnino interesset, quum dico : « deambulatum ibo, *si voluero* », et quum rursus dico : « deambulatum ibo, *si sudum erit* ». Utrinque aliqua significaretur possibilitas pariter conditionibus externis obnoxia. Multum tamen priorem possibilitatem a posteriore differre sentimus : nempe extra nos esse scimus conditionem cui posterior possibilitas obnoxia est; intra nos verò eam esse conditionem, cui prior subjecta est, affirmamus et percipimus.

At enim ea conditio in nobis esse possit, et tamen in nobis casu et fortuito, aut ignota causa, non ex nostra voluntate, nasci. — Id quoque falsum existimandum est. Quod si ita se res haberet, nihil omnino interesset quum dico : « id faciam, *si cogitavero*, » et quum rursus dico : « id faciam, *si voluero.* » *Cogitare* tamen non ex me uno, sed ex causis quoque pendet alienis, quæ, etsi inte-

riores esse videntur, non meæ voluntati, sed suis legibus, obnoxiæ sunt. *Velle* contra ex me uno pendere aperte sentio. Quum dico : « si cogitavero, » hoc idem est ac si dicerem : « si cogitatio aliqua, quæ ex me magnam partem non pendet, in me orta erit ». Quum vero dico : « si voluero » , an hoc idem est ac si dicerem : « si voluntas aliqua, quæ ex me magnam partem non pendet, in me orta erit? » At vox ea inanis esset et intellectu carens. In me enim cogitationes, inclinationes cupiditatesque esse scio ex me magnam partem non pendentes, quas non ipse mihi do aut efficio, quum volo, sed quæ mihi dantur aut quibus afficior, etiam quum nolo; voluntatem autem in me nullam esse conscius sum quæ ex me non pendeat, quæ recepta, data et imposita mihi, non a me creata sit, cujus denique, ut ita dicam, *subjectum* tantum, non *causa* sim.

At rem aliquam velle, nisi cogito, non possum; non ex me igitur uno volendi magis quam cogitandi potestas pendet, neque unius magis quam alterius conscius sum. — Haud dubium est quin ea, quam nobis vindicamus libertatem, non absoluta sit et infinita, sed quibusdam conditionibus subjecta. Id enim velle non possum, scilicet : 1° id de quo nulla in me cogitatio est; 2° id quod facere non posse aperte sentio ; 3° ea denique quæ esse pure mala, hoc est, mala nullum ad bonum quocumque modo conducentia, evidenter sentio aut intelligo. In summa, ea tantum velle possum, et de quibus aliqua menti meæ inest cogitatio, et quæ facere posse credo, et quæ aut bona, aut utilia, aut jucunda mihi videntur. Sub iis autem conditionibus, omnia verè possum velle; intra hos fines,

nulla re limitatur mea libertas. Ea sic definita voluntas ex se unice pendet, nam eam mihi conscius sum non esse meram possibilitatem, alienis conditionibus obnoxiam, sed veram vividamque potestatem, suas in se conditiones habentem.

Hoc rursus aliquis forsitan objiciet : Nonnullæ sunt actiones, de quibus in nobis est cogitatio, quas facere posse pro certo habemus, ad quas tamen inducere animum nequimus. Aliquando etiam contingit ut velle cupiamus, velle tamen non possimus. Velle igitur non semper in nostra potestate est[1]. — Enimvero quum, ut officium

1. « On a quelquefois comparé l'homme passionné, qui sent qu'il pourrait résister à sa passion, et qui ne lui résiste pas, à nos dispositions sur la proposition qu'on nous ferait de nous jeter par une fenêtre d'un quatrième étage : nous disons que nous ne le pouvons pas. Quoi ! réplique-t-on, il ne faut, pour cela, que sauter par-dessus l'appui de la fenêtre, ou vous pencher en dehors de plus de la moitié de votre corps, et vous ne le pouvez pas ? Nous répondrons encore que nous ne le pouvons. C'est, ajoute-t-on, parce que cette proposition révolte la volonté forte que vous avez de vous conserver la vie, comme la proposition de faire un vol répugne à un homme juste et équitable. Non, répondrons-nous, ce n'est point cela qui me fait trouver de l'impossibilité à me déterminer à me précipiter par une fenêtre ; vous me proposez d'aimer une chose qui non seulement n'est aucun genre de bien-être pour moi, mais qui, tout au contraire, est opposée à mon bien-être. Vous voulez que mon attrait pour le bien-être (c'est là, selon l'abbé de Lignac, le fond de la volonté) se réveille en faveur de ce qui le combat le plus ; c'est l'impossible que vous me proposez. Le cas est bien différent par rapport à l'homme passionné : la raison lui suggère qu'il sera estimable s'il se refuse à sa passion, et qu'il se méprisera lui-même s'il s'y livre. Elle lui donne donc lieu de choisir entre le plaisir et le mérite ; c'est un genre de bien qu'elle oppose à un autre genre de bien. Ce qui fait illusion à ceux qui soutiennent le parallèle que nous venons d'examiner est qu'ils confondent le pouvoir de vouloir avec celui d'agir ; j'ai bien le pouvoir de me précipiter par une fenêtre, mais je n'ai pas celui de vouloir le faire. » (L'abbé de Lignac, *Témoignage du*

aliquod exsequaris, cupidati obstare, voluptatem repudiare, prava consuetudine te eripere velle debes, non sine conatu velle potes. Quod si huic impar esse videris, non ideo ex aliena causa pendere tua voluntas dicenda est. Non proprie tua volendi, sed potius operandi potestas deficit : non exterius, sed interius operandi, id est inclinationes aut consuetudines moderandi, tractandi, frenandi potestatem dico. Nempe ea, haud secus ac illæ exterius agendi potestates, et limitata, et alia in aliis est, et usu invalescit. Præterea, etiam quum suspensa et contentioni impar tua voluntas esse videtur, in te tamen esse, nec in ulla alia causa, volendi, cum majore quidem conatu, potestatem sentire non desinis. Non ab alienis aut fortuitis causis voluntariam determinationem exspectas, quasi ea sit res aliqua a propria directaque tua potestate remota, ut plerique remoti sunt animi motus, sensus, affectus, vel memoriæ recordationes : alienas fortuitasque causas aliquid quidem conferre posse ad conatum tuum minorem facilioremque reddendum, non verò ipsum in tuo loco conatum incipere posse, aperte sentis et intelligis.

Nobis igitur licet affirmare nos esse nostræ volendi

sens intime, t. I, pp. 152-154.) — Verius dixisset, si volendi potestatem, etsi ab agendi potestate differentem, non esse reipsa ab ea separatam affirmavisset, neque rursus a nostra de bono aut malo judicandi potestate separandam. Quum aliquid et facere et bonum judicare possum, id velle quoque possum. Mihi me ex fenestra dejicere quidem licet : id vero sine ratione bonum judicare non possum : idcirco ut velim non contingit. Si cupiditatem refrenari esse bonum judico, refrenandi vero potestatem usu non in me confirmavi, velle rursus non statim possum, aut ægre tantum possum ; at in futurum velle et efficiendi potestatem parare licet.

potestatis conscios. Hoc autem nihilominus verum est, ejusdem potestatis nullam nobis dari posse distinctam cogitationem vel cognitionem. Nostra quidem certum aliquid faciendi potestas facile in quocumque casu *repræsentatur;* aliquid vero volendi potestas nunquam distincte *repræsentari* potest, quod quamobrem fiat alio loco a me esse explicatum jam supra memoravi [1].

3° Per nosmet ipsos agere, inquit etiam *Schopenhauer*, idem est atque ex voluntatis nostræ natura, sive ex nostra indole agere. Indoles cujusque ita esse vera actionum causa videtur, ut ad eam bene ac male merita utique referantur. Non actiones ipsas, sed potius indolem, cujus testimonium actiones sunt, laudamus aut vituperamus. Ut aiebat Aristoteles : « Τὰ δ'ἔργα σημεῖα τῆς ἕξεώς ἐστιν, ἐπεὶ ἐπαινοῖμεν ἂν καὶ μὴ πεπραγότα, εἰ πιστεύοιμεν εἶναι τοιοῦτον [2]. » Ubi verò merita sunt, ibi quoque libertas esse debet. Indoles autem innata est et immutabilis : qui bonus probusque natus est, idem semper erit; qui malus, numquam a malo desistet. In quosdam generales fines quisque natura tendit; cum verò notitiarum augmento mutari possunt viæ modique per quos quisque suos fines persequitur : hæc tantum mutabilia sunt. Quî fit igitur ut homines actionum suarum rationem sibi esse reddendam credant? Kantianam sententiam vehementer probat *Schopenhauer*, ex qua ab *empirica* indole magnopere differat indoles *intelligibilis*. Voluntatem ergo et ipse liberam, at pure in se, extra temporis eventorumque legem, esse contendit. Ibi semel indolem ea libere eligit

1. Vide p. XXIX, not. et *l'Idée de la personnalité*, etc., pp. 198-214.
2. Arist., *Rhet.*, I, IX, 33.

propriam, quæ variorum empiricæ vitæ eventorum intima et necessaria causa erit. In summa, quod quisque vult, id quisque facit; attamen ex necessitate semper agit. Enimvero, quisque is est, quem se esse voluit, et ex eo quod quisque est, quod quisque facit necessario consequitur[1].

Ista autem opinio adeo cum generis humani conscientia repugnat, ut eam redarguere vix utile videatur. Satis forsitan erit, si aliquam argumentationis inconsequentiam ostenderimus.

Indoles nostra, secundum *Schopenhauer,* in naturali habitu consistit quo in generales quosdam fines tendimus[2]. Immutabilis ergo ille habitus esse possit, si immutabiles sint ipsi fines. Num ii vero fixi sunt atque immoti?

1. « Der Charakter des Menschen ist *constant;* er bleibt der selbe, das ganze Leben hindurch. Unter der veraenderlichen Hülle seiner Jahre, seiner Verhæltnisse, selbst seiner Kentnisse und Ansichten, steckt, wie ein Krebs in seiner Schaale, der identische und eigentliche Mensch, ganz unveraenderlich und immer der selbe. » (Schopenhauer, *op. cit.*, p. 50; vide etiam pp. sq.) — « Operari sequitur esse... Dieses aber gilt vom Menschen und seinem Willen ebenso sehr, wie von allen übrigen Wesen in der Natur. Auch er hat zur Existentia eine Essentia, d. h. grundwesentliche Eigenschaften, die eben seinen Charakter ausmachen und nur der Veranlassung von Aussen bedürfen, um hervorzutreten. Folglich zu erwarten, dass ein Mensch, bei gleichem Anlass, ein Mal so, ein ander Mal aber ganz anders handeln werde, wære wie wenn man erwarten wolle, dass der selbe Baum, der diesen Sommer Kirschen trug, im næchsten Birnen tragen werde. » (*Id.*, p. 58. Cf. etiam pp. 93, 94 et 98.)

2. « Durch den angeborenen Charakter des Menschen sind schon die Zwecke überhaupt, welchen er unabænderlich nachstrebt, im Wesentlichen bestimmt : die Mittel, welche er dazu ergreift, werden bestimmt theils durch die æusseren Umstænde, theils durch seine Auffassung derselben, deren Richtigkeit wieder von seinem Verstande und dessen Bildung abhængt. (*Id.*, p. 56.)

Nonne alii fiunt, quum aliter à nobis noti sunt? *Schopenhauer* laudat hoc Scholasticorum dictum : « Causa finalis movet non secundum suum esse reale, sed secundum esse cognitum[1]. » Nonne ex eo sequitur, ut melior finium cognitio idem sit ac reipsa meliores fines? Pone esse aliquem ita natura inclinatum ut ceteris rebus suam utilitatem anteponat : si mentis cultu et notitiarum amplitudine destitutus est, præsentia propriaque commoda unice sectabitur; si rursus judicio scientiaque auctior factus erit, eam veram esse sibi utilitatem intelliget, quæ stabilis esse et cum familiæ, patriæ, ceterorumque hominum utilitati possit congruere; primò quod jucundum sibi esse videbatur quærebat, deinde communi utilitati inservire assuevit. Ergo simul ac in eo homine crevit rerum intelligentia, propositus finis vere mutatus est.

Non modo judicii notitiarumque incremento, sed etiam usu et consuetudine aliquid in indole, sive in intima voluntatis inclinatione habituque mutari potest. Supervacuum esset memorare quidquid seu boni seu mali puerorum institutione, prout recta aut prava sit, efficiatur. — At diversas indoles, ait *Schopenhauer,* in eadem domo eadem institutio parit[2]. — Si mala cultura non utique bonos fructus edit, quid mirum? Præterea raró eadem prorsus ratione, etiam in eadem domo, pueri instituuntur. Denique haud cujusque pueri naturam omni ex parte verti, sed in diversis naturis eamdem tantum ad bonum honestumque inclinationem institui, necesse est. Nonne in hac re quidem, ut in multis aliis, consuetudo fit quasi

1. *Id.*, p. 52.
2. *Id.*, p. 53.

altera natura? Sunt quædam profecto mala perversaque ingenia quorum pravitas quasi innatus morbus est, qui sanari nequit; hæc verò rarissima sunt, nec cum his confundendi esse videntur ceteri noxii, quos verè corrigi posse putant qui eos maxime observaverunt [1]. Ceterum, si aliter se res haberet, qui semel peccaverit, eum semper esse peccaturum, qui autem bonum aliquid effecerit, hunc semper bonum honestumque futurum esse omnes putarent, quod quidem omnium populorum mores et bene ordinatarum civitatum leges institutaque falsum esse demonstrant.

Sed de hoc satis superque dictum est. Vera cujusque voluntatis essentia non quædam est indoles cuique naturaliter addicta, sed habitus aliquis, quem paulatim per adolescentiam juventutemque, aut potius per totam vitam sibi aut accipit aut eligit et informat quæque voluntas. Cogitationis in se reflexæ munere, qualis quoque tempore est, se quisque judicare potest, et simul se, qualem esse velit, sibi mente fingere et tanquam ante oculos ponere. Ita naturæ, quæ est, opponitur natura quæ nondum est, quæ vero, si non tota, at partim fieri potest. Hujus certe pars magna fiet, si primum ita et constanter voluntas statuerit, deinde consuetudinis ope acquisitus hic habitus paulatim confirmatus erit. Indoles verò quædam electa extra conscientiam, extra nostram quam novimus vitam, non esset nostra, sed rerum naturæ in nobis, indoles. Quare nullum in his actionibus meritum quæri solet, quas sua indole impulsi pueri efficiunt? Aliquod tamen

1. Cf. Dr Le Bon, *la Question des criminels* (*Rev. philos.*, mai 1881, pp. 524-530.)

meritum in his esset, si suam sibi indolem verè elegisset absoluta, in se existens, cujusque voluntas. Nullum verò esse omnes arbitrantur, quia pueri indoles nondum voluntaria res esse videtur. Ex ea tantum indole bene ac male merita proveniunt, quam quisque per se habet, hoc est, quam sibi quisque aut facit, aut saltem accipit, quum eam judicare, regere, emendare, mutare potest, sive ex ea quam sibi quisque cum conscientia et cognitione voluit.

Ergo non satis certis argumentis nos in nostra suî conscia vita esse liberos negavit *Schopenhauer;* libertas autem quam nobis extra hanc vitam tribuit, non verè nostra est, nec quidquam habet hujus libertatis simile quam nobis inesse affirmamus.

III

Quum neque in conscientiæ modis mutationibusque ab omni ente separatis, neque in abstracta substantia, sive in ente ab empirica suîque conscia vita sejuncto, posita esse possit libertas, reliquum est ut in suî conscio *subjecto* cum modis mutationibusque suis conjuncto quæratur. Ibi quoque plures contineri potestates videntur, quarum aliam in aliis doctrinis ut sedem fundamentumque libertatis propositam esse jam supra diximus. Præcipuas a nobis enumeratas opiniones nunc breviter inspicere oportet.

Excogitatæ a *Schopenhauer* de voluntate humana sententiæ aliquando cognata visa est doctrina a *Maine*

de Biran instituta[1]. Similitudinem verò, si qua sit, magis nomine quam re esse censeo[2]. Entis quidem fundamentum esse voluntatem, ut *Schopenhauer, Maine de Biran* affirmat; ens verò nobis ignotum, voluntatem in se et extra conscientiam existentem ille, hic voluntatem suî consciam, ens propriè nostrum nobisque perceptum, vult significari. Illius voluntas substantia est, quæ in regione vivit a qua interclusi sumus, nec unquam in empirica nostra vita operatur; voluntas quam hic intuetur cum sensu intimo conjuncta est, neque alia res est quam conscium suî *subjectum*, actiones suas in empirica vita ipse per se incipiens corporisque membra sponte sua movens. Illa vis est quædam intellectu prior, quæ intellectum ipsa creat, atque antea sola in se existit; hæc non potest ab intellectu separari : hæc enim vis est quæ eatenus tantum existit, qua ipsa se experitur, quæ rursus se eatenus tantum experitur qua in actu est, quæ verò nihil

1. Vide, exempli causa, P. Janet, *Revue des Deux-Mondes*, 1er juin 1 77, p. 617.

2. Laudat quidem *Maine de Biran*, quædam a *Fichte* et *Schelling* dicta, quibus assentiri quoque possit *Schopenhauer* : « L'esprit n'a conscience de son action que dans le vouloir. » — « L'acte par lequel le moi se pose est absolument libre et spontané. » (*Œuvres inédites*, t. I, p. 206.) — Idem vero infra vituperat « la promptitude avec laquelle on passe, de l'individualité précise du *moi*, aux généralisations arbitraires les plus étendues. » (*Id.*, p. 207.) — Alias de nostro ente in se et absoluto scripsit : « Si en faisant ainsi abstraction du *moi* individuel, il reste encore un sujet idéal, doué d'un sens supérieur approprié à l'existence absolue, comme je n'ai pas la puissance de m'anéantir ainsi, et néanmoins de continuer à penser ou à réfléchir, je me reconnais privé pour jamais, sans doute, de ce sens mystérieux, et en félicitant ceux qui en jouissent, je m'en tiens à celui qui est commun et intime à tout être pensant, sans regretter la privation d'un bien à jamais inconnu. » (*Id.*, p. 170.)

agit, nisi quum id novit quod vult agere[1]. In summa, altera abstracta est essentia, quæ nec sibi nec nobis nota est; altera verò res experta, suî conscia nobisque cognita. Magna igitur et aperta earum dissimilitudo est.

Ergo nostræ ætatis philosophi qui voluntatem esse primigenam potestatem, substantiæ propriam, intelligentiam vero derivatam tantum facultatem existimant[2], istius sententiæ auctorem *Maine de Biran* proferre non possunt. Ille enim a substantia personam aperte discernit, quod quidem maximi esse in illius doctrina momenti jampridem *Ampère* animadvertebat[3]. In animi corporisque substantia conscientiæ voluntatisque conditiones, non verò ipsam in actu voluntatem positam esse putat. Hæc nempe simul ac persona, sive suî conscium *subjectum*, incipit, nec aliud persona fundamentum habet. Præterea non ille a voluntate sejunctam esse intelligentiam, sed utramque arbitratur ex activa ea suîque conscia potestate constare, quæ ipsum *subjectum* aut

1. « Il ne s'agit pas de savoir ce que cette force est en elle-même, comment elle existe ou quand elle commence à exister absolument, mais quand elle commence à exister comme personne identique, comme *moi*. Or, elle n'existe pour elle-même qu'autant qu'elle se connaît, et elle ne se connaît qu'autant qu'elle agit. » (*Id.* t. I. p. 229.) — « Si la perception distincte n'est pas antérieure, comme je crois, à un exercice quelconque de la volonté, celle-ci ne saurait être non plus avant un degré quelconque de perception; et quoiqu'il soit vrai de dire que l'être pensant ne peut commencer à connaître qu'autant qu'il commence à agir et à vouloir, il n'en est pas moins vrai suivant l'expression ordinaire, qu'on ne peut vouloir expressément ce qu'on ne connaît en aucune manière. » *Id.*, p. 226.)

2. Cf. P. Janet, *la Philosophie française contemporaine*, p. 86; *Revue des Deux-Mondes*, 15 avril 1877, p. 819.

3. *Philosophie des deux Ampère*, 2e édit., pp. 305, 306. — Vide etiam nost. thes. *l'Idée de la personnalité*, etc., pp. 291-293.

persona est[1]. Utrum voluntas an intellectus prior sit facultas, fictam supervacuamque quæstionem existimat, nam illi voluntas, intelligentia, persona unà nasci videntur, ut quæ nihil aliud sint quam una atque eadem activa suîque conscia potestas.

1. « Cette grande division, admise dans toutes les écoles entre l'*entendement* et la *volonté*, est purement artificielle et n'a aucun fondement réel dans notre nature. » (Maine de Biran, Œuv. inéd. t. I, p. 110.) — « La même puissance d'effort dans laquelle réside notre puissance individuelle, constitue aussi toutes nos facultés actives. Ces facultés, quels que soient les divers titres sous lesquels on les distingue, ne sont qu'autant de modes d'exercice de la même puissance, dont les produits, les résultats ou les objets d'application sont seuls susceptibles de varier. » (*Id.*, t. II, p. 83.) — « Ce sont les facultés actives qui constituent seules l'être intelligent et moral. » (*Id.*, t. I, p. 107.) — « Nous ne pouvons nous connaître comme personnes individuelles, sans nous sentir causes relatives à certains effets ou mouvements produits dans le corps organique. La cause, ou force actuellement appliquée à mouvoir le corps, est une force agissante que nous appelons *volonté*. Le *moi* s'identifie complètement avec cette force agissante. Mais l'existence de la force n'est un fait pour le *moi*, qu'autant qu'elle s'exerce, et elle ne s'exerce qu'autant qu'elle peut s'appliquer à un terme résistant ou inerte. La force n'est donc déterminée ou actualisée que dans le rapport à son terme d'application. » (*Id.*, t. I, p. 47.) — « Dira-t-on que certaines notions sont innées dans ce sens où, comme dit Leibnitz, le sujet pensant est inné à lui-même ? Nous répondrons que ce sujet même n'est pas inné, mais qu'il est constitué tel dans un fait ou rapport primitif. Ce fait doit avoir un commencement, comme toute série doit avoir un premier terme. Or, si la personnalité a une origine, si le *moi* n'est pas inné à lui-même, qu'est-ce qui peut l'être ? De ce que toutes ces notions qui sont des dépendances ou des dérivations immédiates du fait primitif se trouvent placées avec lui à l'entrée de toute la science, il s'ensuit bien qu'elles sont contemporaines à la première connaissance, qu'elles sont les premiers éléments de combinaison, et dans ce sens les véritables principes de toutes nos idées, mais non pas qu'elles les précèdent ; que l'expérience extérieure est réglée par elles et les suppose, mais non qu'elles soient indépendantes de l'expérience intérieure. » (*Id.*, t. I, p. 55.)

Ab intellectu voluntatem nimium quidem *Schopenhauer, Maine de Biran* contra non satis separavit. Ille alibi volentem non vero cogitantem substantiam, alibi cogitantem non revera volentem personam distinxit; hic non modo in persona voluntatem et intellectum unà posuit, sed personam esse cogitationum notionumque haud secus ac voluntariarum actionum causam sibi finxit.

Non intelligentiam hic ut e voluntate derivatam facultatem [1], sed voluntariam quamque actionem ut etiam intellectualem, et quemque rursus intelligentiæ actum ut etiam voluntarium habet. Omnis actio quæ fit intra conscientiæ sive sensûs intimi fines, tanquam propria esse *subjecti* personæve actio, omnis rursus propria actio tanquam voluntaria esse ei videtur.

Omnis autem voluntariæ actionis fundamentum est, secundum hunc, conatus ad movendos corporis musculos adhibitus. Ipsi cogitationi corporeus conatus non deest, nam quisque quum perceptionis, tum attentæ aut reflexæ meditationis actus, physicam aliquam seu ad sensus movendos regendosque, seu ad vocem exterius vel interius ciendam, actionem continet. Corporea igitur actio, sive aliquis musculorum motus, necessarium est voluntarii cujusque actûs elementum, ut ipsa voluntas, si vere ac proprie definiatur, nihil aliud esse dicenda sit, quam musculos movendi cum conscientia potestas.

Ex ipsa mera primitivi actûs conscientia originales notiones principiaque non posse derivari neque deduci

1. Ille non intellectualem potestatem, sed notiones tantum dicit esse derivatas ex primitivo actu, qui idem voluntarius et intellectualis unà est. Vide notam præcedentem, sub fine.

ipse quidem *Maine de Biran* posterius agnovit, quum compertum habuit in re experientiæ data, et quidem personali singularique, nulla posse contineri necessaria, pro veris in universum habita affirmataque principia, eum verò intimum conatûs seu propriæ actionis sensum nihil aliud quam datam occasionem esse, qua cogitationis judiciique principia ex potentia in actum transeant[1]. Sic ille eò adductus erat, ut voluntatem et intelligentiam, quas prius permiscuerat, tandem distingueret. Si quidem cogitationis judiciique principia, quæ sunt tanquam ipsæ intellectûs formæ, in mentibus nostris naturaliter, quasi quædam semina vel potius originales habitus potentiæque, insita sunt, non ea certe voluntatis esse opera, sed leges quum toti animo tum ipsi voluntati impositas existimandum est. Suas leges voluntas aut ipsa facit, aut libere accipit; intelligentiæ verò leges necessariæ sunt. Persona est voluntariarum actionum verè causa, cogitationum autem notitiarumque non causa, sed tantum *subjectum*[2].

Quod si a cogitandi intelligendique facultate volendi potestatem postremo distinxit, hanc ab activa ea vi nunquam separavit, quæ, dum vigilamus, ad movendos

1. « Il ne faut pas dire que nous formons les propositions universelles (qui emportent avec elles un caractère de nécessité absolue) de la connaissance des particulières; mais, au contraire, que nous n'ajoutons le caractère universel à des propositions individuelles ou particulières, qu'autant que cet universel est donné indépendamment d'elles, en vertu d'un principe antérieur de croyance inhérent à notre nature. » (*Fragments de Maine de Biran*, publiés par M. Gérard, p. 65.) — Cf. nost. thesim l'*Idée de la personnalité*, etc., pp. 284-286, 287-290, 343-346.

2. Videre licet *l'Idée de la personnalité*, etc. pp. 362-363.

contrahendosque corporis musculos adhibetur. Num ea vis tamen pro voluntate habenda est, et vere libera dicenda? An, secundum *Jouffroy*, libera putanda est illa personalis potestas, quæ omnes æque facultates, scilicet vim intelligendi sentiendique, haud secus ac vim corporis movendi, possidere et regere queat? An etiam, ut *M. Renouvier* aliisque nonnullis placet, voluntariam unice et liberam esse eam potestatem contendemus, cujus munus sit cogitationes sive *repræsentationes* ciere, retinere, amovere? Quum de his diversis sententiis alio loco disputaverimus[1], nunc, ne eadem iterum dicamus, ea tantum quæ ex disquisitione nostra consequi visa sunt referemus.

Haud dubium quidem est quin in nobis quædam sit activa potestas, quam rem eamdem esse ac nosmet ipsos maxime sentimus. Quum ea actionem aliquam perfert, non modo ex causis externis, sed etiam ex causis quæ in nobis sunt, hoc est, ex sensibus inclinationibusque nostris ortam, nos actionem ipsos pati putamus; quum ea rursus has internas vires movet regitque, vel per eas adversus externas vires actionem aliquam exercet, nos actionem verè ipsos efficere credimus. Ea igitur juste ac merito seu propria potestas, seu personalis causa nominari potest.

Ejus vero hoc non est proprium opus, ut corporis musculos contrahat aut cogitationes notionesque moveat: hinc enim neque musculorum motus neque cogitationes

1. *Id.*, pp. 338-339, 360-367, 374-377, et præcipue 378-392, *Nature de l'effort et pouvoir de la volonté.*

notionesve directò, nullo interposito ministerio, sed vires, quæ horum proximæ causæ sunt, excitat aut impellit; illinc omnes revera animi vires sive naturales facultates, ut *Jouffroy* censebat, ciere et regere nunc pro majore, nunc pro minore parte potest. Nullius animi motûs, statûs aut eventûs *proxima causa* est, at horum omnium *eminens causa* esse potest. Ea vero propria potestas, quæ pure vis est alias vires regens, nondum idem est atque ipsa voluntas, ut *Jouffroy* falsò opinabatur[1]. Ea enim

1. Personalem potestatem idem esse ac libertatem *Jouffroy* existimat, quia consilio facta ei videtur omnis personalis potestatis actio. Quod si tamen personalis nominatur omnis actio cujus ipsa persona, sive suî conscium *subjectum*, causa est, inter personales sive *subjecti* proprias actiones, ab illis quæ nulla deliberatione aut nulla in se reflexa cogitatione fiunt, eas discernere oportet quæ consilio efficiuntur Eæ tantum voluntariæ sunt. Haud me fugit voluntatem aliquando a libertate distinctam fuisse, et in determinatione propria, quum libera, tum non libera, positam : « La volonté, dans son acception la plus complète, exprime la détermination propre de l'âme dans le temps .. Les actes volontaires ne sont pas seulement ceux que l'esprit exécute après délibération, mais tous ceux qui dépendent de lui et s'accomplissent en lui, qu'il le sache ou qu'il l'ignore, quand il pouvait s'y opposer... La spontanéité, la volonté et la liberté sont trois manifestations distinctes de la détermination propre ou de la causalité des êtres... Ces trois manifestations de la causalité se montrent soit séparément, soit cumulativement dans l'activité humaine. Sont simplement *spontanés*, les actes qui concernent la vie végétative; sont simplement *volontaires*, les actes posés par l'esprit dans les états où il n'a pas la conscience de ce qu'il fait; sont *libres*, enfin, les actes accomplis avec discernement. Tous les actes du corps sont spontanés; tous les actes de l'esprit sont volontaires, mais tous ne sont pas libres. » (Tiberghien, *la Science de l'âme*, 3e édit., pp. 457-462.) — Liber quidem est vocabulorum usus; mirum tamen est quod voluntariæ eæ vocantur actiones quas quisque inscius efficit. Quis velle potest, quum id nescit quod velit? Nulla voluntaria fit actio, ut aiebat *Maine de Biran*, nisi in causæ vi prævidetur effectus. (*Œuv. inéd.*, t. I, p. 260.) Hoc addendum censeo : nisi tanquam *possibilis* effectus prævidetur, ex quo sequitur ut alter quoque effectus vel plures quasi æque possibiles prævidean-

aliquando aliarum quidem facultatum, non verò sui ipsius, potens est; alias animi vires, non se ipsam regit; proprias quidem, sed spontaneas, non deliberatas, actiones incipit. Quum verò non modo spontanea, sed in se cogitatione reflexa est et ad se ipsam regendam parata, tum demum voluntas est.

Nostra interius agendi potestas pars tantum voluntatis est; non ea, si sola sit, libera esse possit. Nempe libera ea tantum vis esse potest, quæ non modo alias, sed se quoque regit. Quum spontanea, sed cæca potestas, dum instrumentis sibi a natura paratis fortuito utitur, incipit quidem ipsa aliquid et efficit, non verò per se eligit quod facit, ea non vult vere quod facit : idcirco ea non vera voluntas aut libertas est. Cuique substantiæ spontaneam vim, homini tantum, qui intellectu præditus sit, liberam voluntatem inesse Leibnitius censebat[1]. At nondum satis est spontaneæ potestati adjunctam esse intelligentiam, nam si spontaneam vim traheret aliqua intelligentiæ inconsulta cogitatio, aut aliqua menti infixa hærensque imago, qualis aliquando in pueris, in hominibus cupiditati deditis, aut in iis etiam animadverti solet, qui quasi quadam mentis vertigine correpti sunt[2], non vis ea profecto libera dicenda esset. Omnis actus vere liber non modo spontaneum actionis initium, non modo ejus quæ

tur. (Cf. *l'Idée de la personnalité*, etc., pp. 199-201) Optare igitu aut eligere opus est. Tum consilio aut deliberatione utendum est. Tum infertur quoque propositi finis notio, quæ ad dirigendum delectum necessaria est. (*Id.*, pp. 390-392.)

1. Leibnitz, *Œuvr. phil.* éd. Janet, t. II, p. 333.

2. Cf. Renouvier, *Psychologie rationnelle*, t. II, ch. XII, *le Vertige mental.*

efficitur rei intelligentiam, sed etiam aliquem inter plura possibilia delectum requirit [1].

Nostra igitur etiam intra sensûs intimi fines agendi propria vis non per se libera est; eam autem liberam efficit inter possibilia optandi potestas. Ex his conjunctis constat voluntas, qualem conscientia novimus. Sublata optione, agendi potestas mechanicæ vi se sponte moventi similis esset; sublata autem actione, optio nihil aliud esset quam inefficax arbitrium aut propositum inane.

Quid sit verò mihi per me optare aut eligere, aut me per me determinare? Num is se per se determinat qui, quum consilium capit, ex nulla externa causa pendet? An ille, qui etiam ab omni interno sensuum impulsu solutus liberque est? An ille, cujus animus mentis tantum judiciique notionibus inducitur? An potius putandum est neminem unquam se per se determinare, quod nemo unquam naturam suam ab omnibus alienis inferioribusque elementis liberaverit, puramque et perfectam essentiam suam adeptus fuerit?

Profecto non ideo liber est aliquis, quod ex nulla externa causa pendet; alioquin, quisquis non cogeretur, is liber esset, sive inconsultò et naturæ instinctu aut consuetudinis cupiditatisve impulsu, sive ex consilio et ratione duce aliquid ageret. Liberi essemus, etiam quum causis internis, hoc est, naturæ nostræ inclinationibus aut indole nostra, ut *Schopenhauer* arbitrabatur, necessario determinaremur. Ab ipsa necessitate ejusmodi libertas nihilo discreparet.

1. Videre licet nost. thesim : *l'Idée de la personnalité*, etc , pp. 199-201, 390-392.

An solus ille se per se determinat, qui ab inferioribus naturæ suæ viribus sensuumve inclinatione omnino solutus est, ut libertas rationem ducem sequendi potestas putanda sit? Ejusmodi erat nobis in *intelligibili* quidem mundo, non in *sensibili,* a Kantio tributa libertas. Ejusmodi etiam ea, quam nobis *Spinosa* concessit, quæque nihil liberi arbitrii simile habet, quippe quæ necessitatis tantum species quædam aut forma sit. Ipse quidem *Schopenhauer* nobis inesse, etiam in hoc *sensibili mundo,* aliquam, non vero perfectam, ejusmodi potestatem haud infitiabatur, qua humanam voluntatem ab animalium voluntate discrepare existimabat; hanc autem esse comparativam tantum, relativam, non veram, libertatem contendebat, ut qua necessarius cogitationum rationumve impulsus non tolleretur[1].

1. « Hiedurch ist er allerdings relativ frei, næmlich frei vom unmittelbaren Zwange der anschaulich gegenwærtigen, auf seinen Willen als Motive wirkenden Objekte, welchem das Thier schlechthin unterworfen ist : er hingegen bestimmt sich unabhængig von den gegenwærtigen Objekten, nach Gedanken, welche seine Motive sind. Diese relative Freiheit ist es wohl auch im Grunde, was gebildete, aber nicht tief denkende Leute unter der Willensfreiheit, die der Mensch offenbar vor dem Thiere voraus habe, verstehen. Dieselbe ist jedoch eine bloss *relative*, næmlich in Beziehung auf das anschaulich Gegenwærtige, und eine bloss *komparative*, næmlich im Vergleich mit dem Thiere. Durch sie ist ganz allein *die Art* der Motivation geændert, hingegen die *Nothwendigkeit* der Wirkung der Motive im Mindesten nicht aufgehoben, oder auch nur verringert. Das abstrakte, in einem blossen Gedanken bestehende Motiv ist eine æussere, den Willen bestimmende Ursache, so gut wie das anschauliche, in einem realen, gegenwærtigen Objekt bestehende : folglich ist es eine Ursache wie jede andere, ist sogar auch, wie die andern, stets ein Reales, Materielles, sofern es allemal zuletzt doch auf einem irgend wann und irgend wo erhaltenen Eindruck von aussen beruht. » (Schopenhauer, *Die beiden Grundprobleme*, etc., p. 35.)

Ratio certe non est a libertate aliena, nec temere ac fortuito Scholastici veteres voluntatem *appetitum rationalem* vocaverant[1]. Ratio nos a præsente sensu aut impulsu avellit, consequentias actionum nostrarum longe prospicit, et quæ possibilia sint aperit, discernit, dijudicat. Quid sit inter possibilia optandi potestas, si possibilia excogitandi intelligendique facultas deficiat, aut, ut Germani dicunt, quid sit *Wahlfreiheit* sine *Wahlfæhigkeit*[2]? Præterea, si ratio desit, quæ sit cogitationis in se reflexæ virtus, quæ in eo consistit ut *repræsentatæ* actiones a nobis ante dijudicentur quam efficiantur? Deliberationem ea utiliorem certioremque facit, vias ad agendum plures melioresque nobis aperit, notitias amplificando ipsam libertatem amplificat; non ex his tamen sequitur ut in ea libertas consistat.

Quod si libertas in rationis præstantia posita erit, semper liberi erimus, quum aliquam rationalem cogitationem sequemur, nunquam verò, quum aliò tendemus. Rationales tamen notiones possumus duobus modis sequi : nunc ipsæ nos inducunt, nunc per eas ipsi nos inducimus; nunc eæ nos inconsultos et quasi inscios trahunt, nunc eas quasi duces ipsi nobis ex consilio proponimus. Dixerat ipse *M. Janet* : « Autre chose est l'action conforme aux idées, autre chose l'automatisme de l'idée : dans le premier cas, l'homme *agit*; dans le second, il *est agi*[3]. » Ergo non satis est inesse menti notionem sive rationis conceptum : oportet præterea se ipse per se homo ad

1. Cf. M. Ferraz, *Philosophie du devoir*, p. 82.
2. Cf. *Revue philos.*, *Analyse de Gœring*, déc. 1877; p. 645.
3. P. Janet, *Traité élémentaire de philosophie*, 1879; p. 319.

conceptum eum sequendum inducat. Ad summam, *rationalis determinatio* non est utique *propria* vel *personalis,* sed *aliena* quoque aliquando esse potest.

Qui libertatem dixit esse rationali notioni assentiendi potestatem, is haud facile demonstrare potest quomodo liber sit aliquis etiam quum cupiditati obsequatur. — At rationis ope, inquit, cupiditatem dijudicare eique obsistere possum, cujus potestatis conscientia me liberum facit[1]. — Ex eo sequeretur, ut nihil aliud, ad ultimum, esset libertas, nisi quidlibet agendi potestas, quatenus ea homini ratione prædito inesset. Ex aliqua certe parte vera est hæc definitio, sed ab ea discrepat quam scriptor idem prius protulerat.

Cum libero arbitrio moralem fortitudinem nimio plures philosophi permiscere solent, quod quidem obstat ne ad veram solidamque definitionem perveniant[2]. Jam antea diximus non in abstracta, solitaria, a mente et sensu sejuncta voluntate libertatem esse ponendam. Nonnisi species vana et impossibilis est ejusmodi potestas. Non rectius autem superiori nostræ naturæ parti,

1. Janet, *Morale*, p. 475.

2. Ipse *P. Janet* eas duas res, postquam distinxerat, iterum confundit. « N'oublions pas la distinction que nous avons faite plus haut (pp. 460, 461) entre deux espèces ou plutôt deux degrés de liberté : la liberté comme *fin* et la liberté comme *moyen*. Être parfaitement raisonnable, c'est être parfaitement libre : telle est la liberté comme fin. Être capable de résister à ses penchants ou de s'y abandonner, voilà d'autre part la liberté comme moyen ou libre arbitre. Mais au fond ces deux sortes de liberté n'en sont qu'une... » (P. Janet, *Morale*, p. 475. — « Nous définirons donc la liberté *la puissance d'agir d'après des idées ou concepts*... En résumé, la liberté n'est autre chose que la *force morale.* » (*Id.*, *Traité élem. de philosophie,* p. 319.)

scilicet rationali voluntati, libertas tribueretur, utpote quum ex eo sequeretur ut et homines in quibus non imperium obtinet recta ratio libertate carerent, et facta quæ cum ratione non congruunt nulla essent aut laude aut vituperatione digna. Vera quidem libertas a *morali* illa libertate haud secus atque a libero arbitrio *indifferentiæ* discrepat. Moralis enim libertas, seu voluntas et immunis sensuum inclinationis aut cujuslibet causæ quæ non sit ipsa ratio, et perfecte cum rationis legibus consonans atque congruens, partim potentia, partim actu existit. Potentia quidem eam in nobis semper inesse haud ignoramus; actu vero ea diversum in diversis hominibus gradum assequitur. Sunt qui ejus expertes fere videantur; sunt rursus qui partem ejus non parvam adepti sint. Ea vero, si ut integra omnique ex parte absoluta habita erit, minus hæc voluntatis libertas erit, qualem novimus atque re experti sumus, quam exemplar quoddam ad quod tendere nostra voluntas et mentem nostram dirigere debet. Ceterum ea non voluntariæ tantum actionis forma est, sed ad quemque agendi modum pertinere potest, ut quæ partim naturale donum, partim acquisita consilio et experientia sit potestas. Sunt qui, ipsius naturæ virtute a sensuum dominatu liberati, rationem facile ducem sequantur; sunt qui usu solum et consuetudinis ope idem faciant; sunt denique qui idem assequi nonnisi nova semper voluntatis contentione possint.

Ad dulcedinem sensûs illecebrasque voluptatum perfruendas, non minus quam ad rectam rationem sequendam possum me per me determinare; fieri rursus potest

ut rationali conceptu haud secus ac sensu aut inclinatione passive determiner. Vera autem libertas in eo consistit ut aliquis se per se *active* determinet, neu rationali cogitatione aut sensibili impulsu *passive* determinetur. Quærere reliquum est quæ sint, ut me per me active determinem, necessariæ conditiones. Has non satis indicavit *M. Janet*. Præcipua est, ex nostra quidem sententia, ea homini proprie insita potestas, qua mens suî conscia ipsa in se, antequam aliquid agat, sponte *reflectitur*, atque *in se* ita consistit, ut quidquid tum agat, aut eligat, id vere *per se* egisse vel elegisse dicenda sit[1]. Quia reflexæ in se mentis instrumentum est ratio, ideo libertatis esse auxilium eadem putanda est[2].

Libertatem *M. Fouillée* contendit ex eo constare, ut aliquis ex se tantum, neu ex ulla aliena re, pendeat[3]. Duas res igitur ea potestas continet, scilicet : 1° ut aliquis ab omni aliena causa, quum externa, tum interna, solutus sit ; 2° ut aliquis talis verè sit qualis esse debet, vel puram naturæ suæ essentiam assecutus sit. Hæc *positiva* est libertatis conditio, illa vero *negativa*. Nemo autem, inquit ille, talis est qualis esse debeat ; cujusque hominis natura alienis inferioribusque elementis permixta est. Nemo igitur se vere et unice per se determinat : idcirco nemo revera liber est. Nihil aliud est libertas quam idea, sive exemplar quoddam in quod mentem voluntatemque nostram dirigere possumus atque debemus.

Aliquod istius doctrinæ vitium jam antea breviter in-

1. Vide infra p. LXXXVIII.
2. Cf. Ferraz, *Philosophie du devoir*, pp. 81-83.
3. Vide supra, p. XXI, not. 2.

dicavi. Nunc inquirere tantum volo utrum puræ solummodo hominis ideæ, an homini etiam revera existenti apta sit ista libertatis definitio. Qua conditione aliquis ex se, neque ex ulla aliena causa pendebit? Nullum huic quæstioni responsum dari poterit, nisi prius quæ sit propria cujusque essentia demonstratum fuerit. Enimvero, antequam quæ sint a me alienæ causæ dignoscere possim, qui sim ipse ego novisse volo. Ubi propria naturæ meæ essentia mihi nota erit, nihil erit facilius quam alienas res a me discernere, et inde intelligere quid sit ex nulla re aliena pendere; dum ea autem ignota mihi aut incerta manebit, quæ sint verè alienæ causæ cognoscere frustra aggrediar. Ut brevius dicam, persona prius quam libertas definienda est.

Diversam tamen omnino viam *M. Fouillée* sequi videtur. Personam potius per libertatem, quam libertatem per personam explicare solet. Itaque in quodam quasi circulo hæret, quo egredi non potest. Quid sit, ex ejus sententia, persona? Voluntas in absolutam libertatem tendens, sive imperfecta libertas libertatem perfectam appetens[1]. Ergo vera hominis cujusque essentia est libera voluntas; libera rursus voluntas est essentia quæ ex se tantum, id est, ex libera tantum voluntate pendet. Quum

1. « Il arrivera peut-être à conclure que le moi doit avoir pour essence la volonté. » (Fouillée. *Liberté et déterminisme*, p. 126.) — « On peut donc dire que l'aspiration à la liberté absolue constitue notre être même, ou tout au moins ce que notre conscience peut atteindre en nous de plus intime et de plus essentiel, elle est proprement la volonté. » (*Id.*, p. 140.) — « Nous sommes essentiellement volonté de l'absolu, liberté incomplète tendant à la complète liberté. » (*Id.*, p. 196.)

volo ea ratione ut velim, tum plane liber sum[1]. Huc recidere necesse erat doctrinam ita in negativis tantum notionibus positam.

Quum ab omnibus alienis causis solutum aliquid dico, negativam tantum notionem expromo, quæ intelligibili sensu caret, nisi prius positivam aliquam notionem, huic respondentem, posui. Quæ est ea res quæ ab alienis est soluta? Nisi ejus naturæ positivam cognitionem habuero, eam ab alienis secernere mihi non licebit. Qui libertatem definit ut causam ab alienis causis solutam[2], nec prius eam causam, quæ sit, definitione explicavit, idem facit ac si diem dicat esse noctis absentiam, noctem verò fieri quum dies absit. Quæ sint alienæ causæ novisse mihi tantum licebit, quum qui sim ego novero. Quod si quis addat meam essentiam esse libertatem[3], quid prosit? Hoc sit aliquid explicare per id quod est explicandum, sivè in rei positivæ loco negativam tantum notionem ponere.

Nullam ex ea negativa absolutæ libertatis notione consequentiam inferri posse ipse *M. Fouillée* compererisse videtur. Eam nempe aliquando dereliquit, aliam-

1. « La forme essentielle de la liberté est de vouloir pour vouloir, de se déterminer par soi-même pour se déterminer par soi-même. » (*Id.*, p. 255.)

2. « La liberté doit donc se définir la volonté indépendante ou qui ne dépend que de soi. » (A. Fouillée, *l'Idée moderne du droit*, p. 233.)

3. « La liberté ne nous paraît pas le concept d'une forme, mais l'intuition de notre fond même. C'est, croyons-nous, avec l'idée et l'intuition de notre liberté, partie divine de nous-mêmes, que nous arrivons à former l'idée de Dieu... Au reste, à cette profondeur, l'intuition de la liberté qui est en nous pourra être aussi considérée, si l'on veut, comme identique à une certaine intuition ou sentiment de la liberté absolue, qui est en Dieu, qui est Dieu même. » (*Id.*, *Liberté et déterminisme*, p. 229.)

que in ejus locum attulit. Nemo verè liber est, inquit, quia nemo verè is est qui esse debeat, hoc est, ab omnibus externis inferioribusque elementis soluta natura præditus. Vera libertas nihil aliud est quam rationalis voluntas, aut potius bene tantum agendi potestas[1]. Ita non jam liberum arbitrium sed moralis quædam virtus libertas est. De ista sententia, ante jam dijudicata, iterum disserere supervacuum videtur.

Qualis in philosophia est personæ notio, talis et libertatis notio esse debet. Si prior incerta obscuraque est, dubia quoque et confusa posterior erit. Omnibus quidem philosophis placere possit eum esse liberum qui se per se determinet; qua autem in re hoc consistat, ut aliquis se per se determinet, de hac quæstione multæ sunt controversiæ. Nulla quidem solutio erit, nisi quum propria personæ essentia definita fuerit, et in persona tantum, non in alia re, libertas erit quæsita. Quod si persona idea tantum est, et ideam esse libertatem necesse est. Quum vero persona idem esse videtur ac suì conscium *subjectum*, et *subjectum* rursus, ut *Maine de Biran* censebat, pro re experientiæ data habetur, tum et ipsa libertas res esse existimatur. *Maine de Biran* autem

1. « L'indépendance, par rapport à tout motif, ne peut être qu'apparente, et serait, d'ailleurs, inutile... C'est l'indépendance par rapport aux motifs inférieurs et extérieurs, aux motifs égoïstes et matériels, car ces motifs expriment non la direction normale et essentielle de la volonté raisonnable, mais la déviation que les fatalités du dehors lui font subir; ils sont donc des servitudes. Dès lors, la vraie liberté, si elle existe, ne consiste pas à pouvoir mal faire, mais à pouvoir bien faire. » (*Id.*, *l'Idée moderne du droit*, p. 234. — Voir une critique chez M. Janet, *Philosophie française contemporaine*, p. 427.)

putabat propriam quamque *subjecti* determinationem esse liberam; liberam contra eam tantum esse arbitramur, quæ sit *subjecti* in se per cogitationem reflexi determinatio.

Ex his quæ adhuc exposuimus, præcipuas patet circa hanc quæstionem difficultates ex eo oriri, quod ab ipso animo proprie dictam personam plerique philosophi non satis discernunt. Animus dicitur absconditum illud sensûs, intellectûs voluntatisque principium, vis illa intima quæ actionem suam per variarum facultatum opus conscientia perceptum significat, ex qua nascitur adolescitque omnis naturæ propensio, in qua omnis mentis aut pectoris habitus informatur, quæ per somnum omnemque conscientiæ intermissionem continuo vivit vigetque. Persona autem est quidam tantum animi effectus, aut potius quædam animi vitæ forma, scilicet ea qua animus partim suæ vitæ conscius fit, aut existit vitæ suæ et actorum cogitationumque non inscius. Personæ vita si vere et proprie loquaris, non est continua, sed per somnum omnemque conscientiæ cessationem interrupta. Deficiente conscientia, deficit et persona, aut potentia tantum superest. Animus contra et cum conscientia et extra conscientiam existit; et quum hæc intermittitur, tunc etiam ille quadam ex parte in actu est.

Animum quidem non omni ex parte nec in quoque existendi agendive modo liberum esse satis manifestum est. Nemo nempe liberos unquam esse dixerit eos motus quorum quidem in anima causa est, sed qui extra conscientiam fiunt, scilicet actiones quæ quodam naturæ instinctu efficiuntur, somnia variosque motus qui ex his

sequuntur, gesta eorum qui per somnum ambulant, et multa alia ejusmodi. Illa vero quorum conscii sumus, libera esse partim, partim non esse dicemus. Libera autem eo tantum sunt, quoad in persona, non in animo, causam habent; quoad in ea animi vitæ parte quæ extra personæ vitam aut extra conscientiam est, causam habent, non libera sunt. Mihi liberum est sensum aliquem aut animi inclinationem sequi; non liberum vero, seu sensum sentire, seu inclinationem efficere. Sunt quædam animi propensiones, quæ ad res diversas diversoque intentionis gradu tendunt; sunt ex his orta gaudia, mœstitiæ, dolor, metus, cupiditates, desideria, spes; est cæcus impulsus et inconsultus aliquando motus qui ex his consequitur. Quæ omnia non sunt vere libera; in eo tantum nostra consistit libertas ut his assentiamur aut resistamus, aut mentem ab his avertere conemur, atque ita nostram hæc regendi reprimendique, progrediente tempore, potestatem augeamus.

Cæterum recte est quod animi sensus affectusque non ex nostra potestate plane pendent. Ii enim voluntatem antecedunt et, quum nata est, sollicitant, inclinant, adjuvant, atque, si opus est, in locum ejus subeunt ejusque munere funguntur. Ii parentes cum liberis, amicos cum amicis, homines cum hominibus naturali quodam vinculo devinciunt; ii vitam vitæque commoda et utilitates nobis caras efficiunt; ita labori addunt stimulum et multorum aut fortiter constanterque, aut bene ac præclare factorum causæ fiunt. Jam animos ad quærendam et præsentiendam illam supremam rerum causam incitant, quæ est omnis naturæ pulchritudinis principium, et summus bono-

rum finis ac quasi perfectissimum exemplar. Ii tardiora mentis incrementa antecedunt, et hujus, ubi aut debilis, aut lenta, aut incerta sit, ibi sæpissime vicem magna ex parte explent, et qua sit gubernanda vita apte et opportune ostendunt. Non igitur juste nec sapienter eos Stoici Kantiusque aut exstinguendos aut amovendos censuerant. Quod si sæpius fit ut animi sensus affectusque cum recta ratione pugnent atque interdum victoriam obtineant, stimulos tamen ei aliquando et auxilia utilia afferre possunt. Iis absentibus caret animus robore et ardore, virtus bonitate, justitia caritate. Non ita se res habet ut naturæ affectus recta ratio improbet : eos tantum regere vult, nec male est quod et iis aliquando duci velit.

Non magis quam sensus inclinationesque animi liberæ sunt cogitationes, sententiæ opinionesque, quippe quarum causæ sint partim in externis rebus positæ, partim in interna mentis actione, quæ ex nostro arbitrio non ita pendet. Eæ plerumque ut fert occasio nascuntur; variis cogitandi cognoscendique facultatibus, ut cuique est natura, informantur; inter se cohærent et seriem continuationemve efficiunt, seu ut tempora locique, seu ut logicæ leges ferunt. Quidnam est circa hæc omnia libertatis opus? Cogitationes possumus aliqua tantum ex parte ad propositum finem dirigere; cursum quem sponte tenent ad arbitrium flectere, dummodo ne earum vi præoccupetur animus; res eligere ad quas tendant et quibus moveantur, ea quidem conditione ut post multum studium multamque contentionem convertendæ quo velimus mentis potestatem adepti simus[1].

1. V. *L'idée de la personnalité,* etc., pp. 362-363, 381-383.

Itaque hæc omnia quæ sic in mente animoque fiunt ut eorum nobis conscii simus, quatenus in animi ipsa substantia aut secretis viribus causam habent non a libertate procedunt. Animusne ipse in se in propriaque vita propriisque incrementis liber est, an omnia in eo necessitate quadam constituta sunt atque ordinata? Estne in eo pura, absoluta, suîque omni ex parte potens voluntas, ut Kantius censebat, an intima profundaque ad summum bonorum finem inclinatio et quasi moralis necessitas, ut Leibnitius existimabat? Hoc est primariæ dictæ et rationali philosophiæ, sive *metaphysicæ,* dijudicandum. Quodcumque vero datum erit responsum, id non erit quod requirimus, utpote quum abscondita illa libertas, si qua ibi existat, non nostra, nec propriarum actionum, nec nostræ personæ sit[1].

Libertas igitur quam sibi quisque sponte tribuit non ut totius animi virtus quædam aut potestas habenda est. Etenim non ea est animi propria, quoad hic vitæ suæ nescius vivit; ne in motibus quidem aut variis consciæ sibi vitæ modis inest, quoad eorum causa in naturæ inclinationibus innataque potestate sita est. Quid ergo est in homine vere liberum? Id demum liberum esse potest quod est suî suæque totius vitæ sibi conscium, personam dico. Libertas inest in agendi existendive modis quorum ipsa persona causa est, et prout hæc per se eorum est causa. Sola ea facta libera esse possunt in quibus personalis causa per se in actu est. Quæ vero ad sensum, ad affectum cupiditatemque proprie pertinent,

1. V. *supra*, p. XXXI.

in quibus actionem patitur persona, ea nunquam libera esse possunt; aut hoc tantummodo in iis liberum est, quod ipsa personalis causa seu ad resistendum seu ad assentiendum efficit. Notiones opinionesque in quibus et mens et persona simul in actu sunt, quippe quum mentis ad informandas eas et inspiciendas jungendasque ac disjungendas idoneam actionem persona regere queat, eatenus liberæ esse possunt, quoad earum pro sua parte persona causa est. Motus denique corporis, si sponte fiunt et inconsulte et antequam ad regendos eos cogitationem adhibeam, non liberos esse puto; liberi tantum esse possunt prout ipse ego ad movendos eos et dirigendos aut moderandos animum intendo. Itaque ea tantum libera esse actio potest quæ personæ est, scilicet hujus causæ quæ suî est conscia, quæ cum ipsa conscientia et incipit et perstat et intermittitur.

CAPUT III

Quomodo se constituat exerceatque in personali vita libera voluntatis potestas.

Quælibet quidem persona eatenus libera est, qua actionum suarum ipsa per se causa est. Libere vero aliquid agere ex duabus conditionibus duobusve elementis constat, scilicet ut et per se aliquis agat et per se ad aliquid agendum animum inducat. Integra scilicet completaque libertas et agendi et decernendi potestatem una continet. Agendi enim copia, si sola esset, ut quæ in insanis, in infantibus, in feris inest, cæca quædam esset potestas ltemque sola per se consilium aliquod capiendi facultas mancum aliquid ac dimidiatum esset, seu quale in iis videtur quibus membra instupent, seu etiam impotentius aliquid, nam ii partem utique corporis movere vel sensum cogitationemque quodammodo regere possunt. Quod si autem nulla agendi potestas superesset, ipsa evanesceret voluntas, siquidem id tantum homines volunt quod possunt aut posse credunt[1].

Omnis actio libera voluntatis est actio, et libera quidem est prout est voluntaria. Quidquid scilicet expresse

1. V. *L'idée de la personnalité*, etc., p. 202.

volo plane est liberum, quippe cujus unica causa egc sim; quidquid non incepi, sed mihi tamen eo voluntarium est, quod huic assentior, eatenus quoque liberum est, qua huic assentior; si quid vero eo tantum mihi voluntarium est, quod mihi sum conscius hoc à me impediri posse, si nempe hujus neque auctor, neque adjutor, neque ullo alio modo particeps sum quam ut spectator, hoc eatenus modo liberum est, qua mihi conscius sum hoc posse a me impediri, si velim. In hoc non activa, sed patiens toleransque libertas videtur.

Itaque voluntas, utpote cujus libertas sit præcipua virtus, ex duplici quoque potestate, scilicet, et decernendi et agendi, conflatur[1]. Quomodo libera esse possit duplex ea potestas, nunc nobis est demonstrandum.

I

Est quidem parvulis insita propensio ad membra movenda, ad utendum sensibus, ad voces emittendas, ad exercendam multis modis agendi facultatem a natura datam. Sponte primum agunt, sine ratione, temere et fortuito, ut naturæ inclinationem sequantur. Quum vero membra quisque sponte movit, oculisque ac voce usus est, et ex hoc dulcedinem aliquam excerpsit, agere iterum aliquid incipit ut jucundum quem novit sensum rursus percipiat; jamque finem sibi in agendo proponit. Ita vi-

1. V. *L'Idée de la personnalité,* etc., pp. 388-392.

ribus facultatibusque quas natura creavit partimque informavit potitur, easque paulatim sui juris facit. Tum membra, quæ sponte movebantur, ipse ex proposito movere incipit; oculos quoque ad ea quæ videre libet dirigere, aut voces ipse proferre potest. Mox, iteratis frequenter motibus, firmiore et certiore potestate utetur; oculos scilicet in rem aliquam defigere, vel lumen aliquod circumlatum oculis sequi, aut ad ea quæ videt manus intendere poterit. Matrem ad vocem accurrere animadvertet, deinde ut mater veniat vocem ex consilio proferet. Sic in naturæ viribus virtutibusque facultates novas, sed ex proposito et cum conscientia, et ipse per se, instituet. Cæteris item ingenii dotibus, ut quæque apparebit, utetur, temere primum, deinde ut propositos fines assequatur. Juvenes postea varias vires potestatesque quibus erunt præditi ad novos et diversissimos usus flectent; non modo manus cæterave corporis membra, sed mentem quoque regent; hinc lignum, ferrum, lanam continuo labore tractare, illinc scientiarum litterarumve studia persequi, aut agriculturæ, mercaturæ, publicisve rebus operam dare assuescent. Naturæ quidem propensiones potestatesque velut quædam tantum semina in animo erant, ex quibus ipsa suo opere ac studio persona facultates finxit atque informavit, quas proprias deinceps et quasi in manu positas habebit [1].

1. « ... Si nous disions que l'empire qu'il est donné à l'homme d'exercer sur lui-même, sur ses semblables, sur son corps et sur la nature, il le possède dès qu'il voit le jour; si nous disions qu'il n'a point à le créer en partie lui-même, qu'il en jouit sans le conquérir, qu'il le conserve sans le défendre, qu'il l'a toujours au même degré, que jamais enfin il n'en perd rien, quelles que soient

Non modo corpus mentemque, aliqua quidem ex parte, sed pectus etiam in potestate nostra tenere possumus. In animo videlicet affectus nascuntur et adolescunt, quorum non directo nos ipsi, sed externæ res cæterique homines causæ sunt. Non plane tamen sunt procul a nostra voluntate remoti; quam enim ad rem nos eorum quisque inclinat, in eam cogitationes attente defigere vel ab ea avertere; propensionem ex iis ortam seu libenter sequi, seu obnixe cohibere aut deflectere possumus. Nobis quoque licet alios aliis opponere, hos et illos paribus ponderibus librare, animum diversis distringere curis conari. Ita si malos eos esse existimemus, ne crescant impedire; si bonos, alere et augere nobis datur. In cupi-

ses imprudences et ses fautes, nous ouvririons aux objections des adversaires du libre arbitre une porte que les plus habiles raisonnements ne réussiraient plus à fermer. Avouons-le, nous sommes au début de la vie une chose beaucoup plus qu'une personne; plus tard, si nous voulons, nous devenons une personne beaucoup plus qu'une chose; mais ce progrès est notre propre ouvrage, et c'est à la liberté elle-même de développer les germes de la liberté.

« Chez l'enfant, le pouvoir personnel n'est guère qu'une force virtuelle que chaque journée et chaque souffrance font graduellement passer à l'acte. Chez le jeune homme, ce pouvoir est une énergie militante, souvent victorieuse, souvent vaincue, mais qui grandit dans la lutte, quand elle a le courage de ne pas rendre les armes dès les premiers combats. Chez l'homme mûr, qui, par de nobles efforts, a su préserver et accroître le trésor des puissances de la jeunesse, et creuser à sa volonté le lit profond des viriles habitudes, le règne du pouvoir personnel est fondé : la nature obéit, la liberté commande. Tout n'est pas fini, il est vrai : parfois le corps enchaîné et les passions réduites se révoltent encore; des séditions éclatent de temps en temps; l'homme n'a pas cessé d'être homme, mais il est maître de lui-même, et, s'il ne l'est pas devenu, une voix secrète le lui reproche, en lui criant qu'il ne tenait qu'à lui ». (Lévêque, *Science de l'invisible*, p. 9.) — Cf. les pages de Jouffroy sur le pouvoir personnel, *Mélanges philosophiques*, 4e éd., pp. 246-269.

ditatibus profecto, quum jam adoleverunt, vis inest cui obsistere difficile sit; quod si adversus eas, quum jam increverunt, quum fervent aut toto impetu proruunt, minima tantum et fere nulla potentia nobis est, tamen quin eas acquirerent vires magna quidem ex parte cavere atque prohibere fas erat. Ibi quoque consuetudinis ope nostra in dies firmior fit potestas[1].

Sensus affectusque minus ex nostra potestate pendent quam cogitationes, cogitationes vero minus quam corporis motus; per corporis autem motus cogitationum seriem partim mutare, detinere, suspendere, dirigere; per nostram rursus in movendo corpore gubernandaque mente actionem, sensibus affectibusque moderari quodammodo possumus. Igitur nostræ potestati et corporis et mentis pectorisque vires aliqua ex parte subjectas esse affirmare licet. Hujus potestatis causa, varii quibus nostra vita constat eventus nostrum partim esse opus, non vero alienarum causarum effectus videntur; eorum auctores magna ex parte ipsi sumus, et merita quæ ex iis consequuntur ut nostra habemus. Hujus demum gratia, ut personæ, non ut res, habendi sumus[2].

II

Hæc vero agendi potestas dimidia tantum pars voluntatis libertatisque esse videtur. Ut enim et corporis mo-

1. V. Maillet, *de l'Essence des passions*, pp. 354 et sq.
2. V. meum lib. *l'Idée de la personnalité*, etc., ch. XI, art. 5 et 6.

tus et cogitationum sensuumve ordinem dirigamus, propositum destinatumque finem habeamus oportet; alioqui hos temere ac fortuito regeremus, aut potius regendi potestatem, nulla nos ad eâ utendum impellente causa, paulatim obsolescere sineremus. Itaque omnes naturæ nostræ vires, ut fors ferret, se ultro moverent. At res non ita se habere scimus. Fines enim nobis proponimus, nec unquam nisi ad destinatum finem aliquid agere animum inducimus. Quod si quid, nullo proposito fine, ageremus, cæcam eam atque temerariam actionem, non voluntariam diceremus. Voluntaria vero liberaque actio ea est cujus *efficiens causa* in *finalem causam* intenta persona est; quumque propositi finis notio ad eumque inclinatio rationes sint quibus ad rem agendam animus inducatur, voluntatem esse efficientem causam ex causa finali suspensam dicere licet [1].

Quomodo autem fines nobis proponimus? Num ii sicut ipsæ actiones ex nostra quoque potestate pendent? Quidam dixerunt animi nostri intimam partem atque fundamentum esse quamdam ad summum omnium, quæ sint possibilia, bonorum inclinationem; quumque nihil infinita perfectione, quæ Dei propria est, melius aut superius sit, inclinationem ad perfectum hominum rerumque omnium auctorem, sive Dei caritatem, animi nostri principium esse affirmaverunt. Si autem ille sit supremus naturæ nostræ finis, quum illa inclinatio non a nobis, sed a natura Deoque ipso in animis nostris posita sit, quando finem illum prosequimur, viam nobis indictam

1. Cf. idem op., pp. 391, 392.

imperatamque, non vero ex voluntate nostra electam, ingredimur; itaque non liberi sumus. At difficultatem istam facile solveris, si ab animo ipsam personam secernere volueris. Si enim ea animi nostri lex est, manifestum est ea lege illam tantum animi nostri vitæ partem, quæ non sui conscia est, gubernari, at in vita sui conscia se rem aliter habere. In hac enim, ii nos fines ducunt, quos nostra ipsa persona aut ipsi nobis dedimus atque assignavimus.

Primum parvulus infans nullo proposito se movet; ii vero spontanei motus neque voluntarii neque liberi dicuntur. Mox, quum jucundum molestumve sensum, qui ex motu consequitur, expertus est, se ipse movet aut ad protrahendum iterandumque quod jucundum, aut ad amovendum quod molestum videtur. Jam propositus aliquis finis apparet, sed a sensu affectuque, non a consilio profectus. Postea usu intelligit aliquas actiones, quæ per se nihil jucundi, quæ aliquid etiam molesti habeant, ad bonum tamen finem conducere; itemque ex voluptatibus quibusdam mœstitiam aliquando oriri, ut illis obsistere debeat, qui hanc vitare velit. Sic futurum in præsente prævidere, et ultra ea quæ agit, fines remotiores quos per ea consecuturus sit prospicere incipit. Tum utilitatis notionem mente concipit.

Utilitas vero varios gradus habet, quos quisque, progrediente ætate, magis ac magis animadvertit; et mentis quidem ea est perfectissima virtus, ut quid secum actiones utile latum sint, quid non, e longinquo prospiciat. Modo enim caduca falsaque est utilitas, modo vera ac perennis; nunc quod mihi utile esset, non proximis, non

patriæ utile est; nunc quod patriæ esset, non est humano generi. Experiendo quidem et mecum reputando, proximorum utilitati meam esse junctam cognatamque disco, et nationes omnes intelligo adeo esse inter se et justitiæ et caritatis vinculo devinctas, ut earum alicui nihil revera bonum esse possit, nisi cunctis una bonum sit. Quis autem veram rerum utilitatem in quaque occasione plane perspiciat, quum ea ex conditionibus partim ignotis pendeat, quumque actio nulla reipsa utilis dici queat, nisi omnia vel remotissima quæ ex ea secutura sint prævideantur, quod quidem est impossibile?

Quia vero universum rerum ordinem mente non complectimur, quod quidem necesse sit ad veram cujusque rei utilitatem dignoscendam, apertiorem certioremque in animo regulam invenimus. Nostra enim nobis conscientia, ætate usuque progrediente, declarat inesse menti legem qua mores regi debeant, additosque animo sensus ex quibus post quædam facta lætitiam, post quædam rursus mœstitiam pœnitentiamque percipiamus. Illa quæ primum in animis tanquam semina erant, ex parentum magistrorumque præceptis, ex hominum consuetudine propriaque meditatione in nobis incrementa acceperunt. Sic nova nobis inest regula qua mens regi solet, quum inter propositos fines, quos sequi possimus, quos debeamus, eligere opus est. Si quam utile sit seu sensuum fines mentis finibus, seu familiæ, patriæ generisque humani finibus ipsius personæ fines subjicere non satis videbimus, in eo nostrum situm esse officium nos conscientia docebit. Itaque ea conscientiæ lege ducti, quæ magistra officiorum est, inter dissimiles quos ante oculos

habemus fines, gradus ordinemque statuere poterimus.

Ceterum observare refert ordinem hunc non esse per se constitutum, nec esse quasi aliquod naturale insitarum animo inclinationum opus atque effectum. Haud dubium est quin in animo nostro sicut et in corpore quædam insit natura, viribus, propensionibus facultatibusque prædita, quas non ipsi fecimus, sed jam formatas quodammodo accepimus. Hujus vero naturæ incrementa non sunt adeo fixa et immutabilia, quin a nobis aut gubernari aut informari aut mutari queant. Profecto quæ ad corpus sensusve pertinent multum in animo pollent; tamen non ad imperium, nisi velim, ea esse nata mihi conscius sum. Quæ ad mentis fines spectant prævalere contra poterunt, si in ea cogitationem intendemus, ut eorum dignitatem melius agnoscamus et affectibus aut desideriis, quæ his respondent, vim majorem adjiciamus. Sic veri pulchrique et boni cupiditas, necnon et Dei amor, summi horum principii perfectissimique exemplaris, quamvis ii affectus ad supereminendum idonei profecto sint, tamen non ipsi per se aut per solam naturæ vim in animis nostris nostraque vita supereminent; non imperium obtinent nisi libera voluntatis contentione hoc iis paramus atque confirmamus. Itaque ordo inter propositos nobis fines atque inde inter naturæ nostræ inclinationes constitutus, a nobismetipsis constitutus est, et quasi personale opus est habendus.

At, quia non solum agendi, sed quos etiam ad fines agamus eligendi facultatem habemus, eo nos esse liberos non satis constat. Quum ex propositis finibus alios aliis posthabemus atque subjicimus et inter illos ordinem

aliquem statuimus, ex quo et vitæ nostræ ordo consecuturus sit, cæcane et omni ratione regulave destituta, an consilio et ratione ducta potestate utimur? Quod si cæca, temeraria et ab omni regula abhorrens ea potestas esset, cui nobis usui esset ratio, quæ docet et explanat quid faciendum, quid fugiendum sit? Eo enim ratio præstans est excellensque facultas, dignitatis nostræ principium, quod eâ uti licet non modo ut quidquid facimus singillatim dijudicemus, sed præcepta etiam vel sententias ex quibus agimus et summam ipsam regulam quæ est totius vitæ nostræ lex, examinemus. Haud sine ratione igitur inter propositos fines, quos prævalere velimus eligimus, sed notione aliqua ducti, scilicet, ut eam quisque appellat, aut officio, aut bono, aut universa utilitate, aut etiam summa perfectione vel divina voluntate. Eam vero notionem obedienter sequi, nonne hoc est libertatem abalienare?

Omnis est quæstio hæc, utrum eam summam atque ad imperandum idoneam notionem quasi indictam injunctamque accepimus atque ex necessitate sequimur, an ei libere assentimur eamque ipsi per nos interpretamur et adhibemus, ut ea nobis eatenus tantummodo imperet, qua et ei assentiamur et eam interpretemur atque adhibeamus. Non dubium esse potest responsum. Quo enim modo aliquis notionem ullam nostræ menti injungeret, nisi ei assentiremur? Quomodo cogeremur aliquid pro bono habere, nisi ipsi bonum esse cogitaremus. Externæ quidem actiones nostræ coerceri, non vero intima nostra consilia, neque conscientia, neque voluntas, possunt. Illa igitur boni honestique notio non vitam nostram re-

git, nisi volumus. Nostra demum ea fit regula, quia nostram ipsi facimus, nec ideo libertatem nostram tollit.

At nonne ei legi eo tantum assentimur quod, in quo tempore assentimur, aliqua fit ejus cum animi nostri statu, scilicet cum cogitationibus affectibusque nostris consensio? Quum vero neque cogitationum nostrarum neque affectuum auctores ipsi simus, quomodo assensionis nostræ auctores esse queamus?

Mens vero humana non ex abstracta fictaque specie ut iners quoddam cogitationum notionumve receptaculum habenda est, sed qualis est reipsa consideranda est. In ea autem, si attente ac diligenter consideraveris, aliquod præcipue notandum munus, hominique maxime peculiare animadverteris, scilicet illam reputandi, meditandi deliberandive facultatem, qua mens, ut ita dicam, in se rursus reflectitur, quam ideo Gallicè *réflexion* vocamus. Hujus facultatis ope, non sensum suum sententiamque, aut animi inclinationem, propositumve et optatum finem homo directò sequitur, sed velut quodam regressu in se prius revertitur, simul ac eum finem et inclinationem aut sententiam sensumve, a se quodammodo et tanquam aliqua mentis duplicatione sejunctum, ante oculos sibi ponit, ut dijudicet atque perpendat[1]. Sic recognoscitur expenditurque non modo quæ sint actiones efficiendæ,

1. « La liberté naît en nous avec la réflexion : les deux faits paraissent connexes... C'est seulement en prenant la réflexion pour point d'appui que l'activité peut s'arracher au vaste engrenage des choses, se constituer comme volonté, comme liberté, en dehors du cours fatal du monde, — *fatis avolsa voluntas*, — et faire échec à la nécessité. » (Ferraz, *Phil. du devoir*, p. 81.) — Voir aussi notre analyse du rôle de la réflexion, *l'Idée de la personnalité*, etc., pp. 184-190.

sed etiam qui fines persequendi, quæ vitæ leges aut regulæ accipiendæ. Tum fit ut actionis alicujus notio menti adsit, nec ea tamen actio efficiatur, nisi quum mens aliis distracta aut præoccupata curis non apud se est. Itemque optata res non ideo quæritur, consilium quia nobis datur non ideo sequimur, nec præceptis ideo utimur quod accepimus, nisi quidem exiguo, debili languidove ingenio præditi sumus et ad jurandum in magistri verba nati. Hujus demum munere, ut ad judicandum per se homo idoneus fit, nedum ex aliorum sententia opinetur, ita ad consilia per se capienda aptus fit, nedum fines non a se sibi propositos prosequatur aut legibus non libere institutis acceptisve pareat.

Quum in hoc meditationis usu propositum aliquem finem, et cum iis per quæ hunc assequi possimus, et cum iis quæ ex hoc secutura sint, perspeximus atque plane et diligenter perpendimus, tum hunc, si nobis probatur, inter proprios personæ nostræ fines ponimus et nostrum facimus. Cæterum, in reputando deliberandoque, neque a sensu tantum, neque rursus a ratione sola statuta consilia proficisci haud parvi refert observare. Quem tunc mihi propono finem, eum mihi totus, ut *subjectum* suî conscium, sive concreta persona propono. Ea enim reputandi deliberandique singularis utilitas est, ut nosmet ipsos sejungamus ab affectibus qui nobis sunt dijudicandi, a cogitationibus quæ sunt nobis examinandæ, et ita consilii judiciique compotes omnino simus. Tum quidquid decrevimus, hujus tota atque integra persona, cum voluntate simul ac sensu et intellectu, causa est. Etsi enim ad aliquid nos fert animi quædam inclinatio, licet tamen

non obsequi, si hoc recta ratio improbat; quum rursus mens utilem bonamque esse judicat aliquam agendi rationem, sæpe fit ut eam prætermittamus, si eâ minime pectus moveatur. Etiamsi optatum simul ac probatum aliquid esset, aut mente non secus ac sensu quæsitum, non ideo tamen tanquam destinatus assignatusque nobis finis esset, nisi tanquam finem nobis ex voluntate nostra proponeremus. Quam multa cupimus quæ non facimus! Quam multa consilia non ad actus transeunt! Quæ quidem omnia quid aliud sunt quam fines quos aut sensus aut ratio, non vero voluntas, sibi proponit? Propositum vere et ex voluntate destinatum finem habemus, quum tota in eo persona hæret, eumque suum facit, et tanquam unum ex propriis suæ vitæ suarumque actionum terminis ponit.

Fines igitur nostri libere sunt propositi, ut qui a persona tota propositi sint, et in persona causam unicam habeant, quatenus quidem personæ fines sint. Inde aliquid præcipue notandum est. Qui sunt ii fines cum ordine gradibusque variis quos inter eos instituimus? Termini nempe in quos et acta nostra et vitam omnem dirigimus. Voluptas enim quædam expetenda, utilitas exquirenda, officium exsequendum, bona generatim adipiscenda, ea omnia non sunt res a nobis alienæ, sed aut voluptas nobis, aut nobis utilitas officiumque, aut bona denique nobis proposita. Itaque bona ea, tanquam propositos vitæ nostræ fines, nobis ante oculos ponere nil aliud est quam nobis nosmet ante oculos ponere quasi ea bona adepturos. Igitur summa finium mihi a me propositorum est vitæ meæ summa qualem fore velim in tempus futurum.

Ita nobis futuram, qualem fore velimus, vitam mente fingimus, eaque imago tanquam aliquod nobis est exemplar, in quod cogitationem intendimus, ut illud imitari et re expromere conemur. Nobile ac sublime apud alios, apud alios mediocre aut vulgare, nunc ingeniosum, nunc imperitum, hoc exemplar cuique est uti velit, et qualem quisque velit vitam futuram exprimit. Ita in hoc nostræ reputandi, meditandi deliberandique facultatis usu, hinc se qualis est, illinc se qualem esse velit persona ponit. Ut vero vita nostra progreditur, quæ evenire voluimus, ea aliqua quidem ex parte eveniunt; eatenus enim eveniunt, qua ex nostra potestate pendent, et apte atque accommodate artes paravimus quibus propositos fines assequeremur. In multis profecto rebus decipimur, quia earum rerum quæ eveniunt non solæ causæ ipsi sumus, nec nostræ voluntati, ut nos nostraque, cæteri quoque homines externæque causæ obnoxiæ sunt. Quæ vero ex nostro arbitrio pendent, scilicet et personalis potestatis incrementa, et artium facultatumque, quoad potestati nostræ subjectæ sunt, melior usus, et nostra cum ceteris hominibus consuetudo atque commercium, et ea quidem eventorum pars de qua aliquid nobis decernere licet, hæc omnia parare, instituere, atque efficere possumus uti voluimus, et ad illius exemplaris imaginem quod nobis proposuimus. Nostræ igitur vitæ aliqua ex parte auctores ipsi sumus.

Si quis ea tantum sectatur quæ non ex voluntate pendent, et cæcis cupiditatibus inconsultisve desideriis trahitur, is brevi tempore vana irritaque contentione fractus, externarum causarum potestati vitæ suæ gubernaculum magna ex parte derelinquit. Ille vim fati vivide

sentit, quia se fato tradidit. Qui autem quid ex se ipse pendeat, quid non, mature intelligere cœpit, uti Stoici hortabantur, qui non in fortuna, sed in propria sua potestate spem posuit eamque extendere conatus est, qui, Stoicis quibusdam sapientior[1], non se ab iis divellit et abalienavit, quæ non proprii arbitrii ac tanquam in manu erant, sed in ipsam rerum naturam unico studio, multa constantia, artium ac scientiarum ope, potestatem suam extendere suscepit, qui hoc denique sibi proposuit, scilicet quam plurimas res sibi suæque voluntati subjicere, is profecto juxta rerum naturæ ordinem esse aliquem etiam libertatis ordinem, ab illo sejunctum solutumque, affirmabit.

Quo sapientior quisque ac melior est, eo nobilius pu-que ac purius sibi fingit vitæ suæ exemplar. Imperfectam vero personæ imaginem non posse certam esse regulam facile intelligunt. Quamobrem philosophi omnesque officiorum magistri eo animum intendunt, ut perfectæ absolutæque personæ exemplar perspiciant et nos ad illud imitandum inducant. Quam quidem vitæ legem eo libentius accipimus, quo ad altiorem jam perfectionis gradum provecti sumus. Nobis vero propositi fines, qualescumque sunt, sive ad voluptatem, sive ad utilitatem, sive ad justitiam caritatemque spectant, ii nostræ personæ sunt utique futuri status, quos nostra persona sibi in præsente ex voluntate proponit. Ergo in *finalitate* ut in *efficientia*

1. « Les stoïciens n'ont pas aperçu la puissance infinie de la volonté, qui, loin de chercher à se détacher des choses, les rattache toutes à elle, en étendant sur elles son action ; qui, loin de s'abstenir, veut et agit dans toutes les directions possibles, etc. » (Guyau, *Introduction au Manuel d'Épictète*, p. XLVI.)

causarum ordine personalis potestas expromitur. Ut ad assequendos fines suas ipsa actiones efficit, sic fines ipsa ponit in quos actiones suas directura sit. Ex hoc duplici munere integra constat libertas, quippe quæ et eam, qua per se aliquis agat, et eam, qua sibi per se fines terminosve proponat, potestatem contineat. Tum revera per se persona aliquid agit, quum, antequam agat, secum reputat deliberatque: per se enim proprie consilium capit, non modo quia tota est consilii capti causa, sed etiam quia incrementi sui personalisque vitæ causa est. Ea non modo per se in præsente velle, sed etiam futuram, ut aiebat Leibnitius, voluntatem quodammodo præparare potest, id est, non modo actionum suarum, sed etiam voluntatis suæ esse causam[1].

III

Qui liberum arbitrium defendunt, iis præcipue objicitur vis inclinationum cogitationumque vel cæterarum

1. « Il ne faut point dissimuler que par des actions volontaires nous contribuons souvent indirectement à d'autres actions volontaires, et, quoiqu'on ne puisse point vouloir ce qu'on veut, comme on ne peut pas même juger ce qu'on veut, on peut pourtant faire en sorte, par avance, qu'on juge ou veuille avec le temps ce qu'on souhaiterait de pouvoir vouloir ou juger aujourd'hui. On s'attache aux personnes, aux lectures et aux conditions favorables à un certain parti, on ne donne point attention à ce qui vient du parti contraire, et par ces adresses et mille autres, qu'on emploie le plus souvent sans dessein formé et sans y penser, on réussit à se tromper, ou du moins à se changer, et à se convertir ou pervertir, selon qu'on a rencontré. » (Leibnitz, *Œuv. philos.*, éd. Janet, t. I, p. 158.)

causarum quibus voluntas impellitur. Examinandum est utrum ea omnia tanquam causæ alienæ nos ad agendum inducant, an ipsi nos per ea inducamus.

Nos quidem eorum quæ sentimus quæque opinamur non esse auctores, ut supra memoravimus, satis constat. Si igitur illa, nulla alia interposita conditione, eorum quæ facimus causæ determinantes essent, libera dicere quæ facimus difficile esset. Itane vero se res habet? Illa quidem earum sunt actionum causæ determinantes, quæ sine meditatione aut deliberatione fiunt, quæque non voluntariæ dicuntur, non vero earum quæ ex consilio et cum voluntate efficiuntur.

Nihil unquam, nisi id ad propositum aliquem finem conducit, volumus. Utrum vero ad cupitum probatumque tantummodo finem conducat, an ad propositum vere atque voluntate destinatum, valde interest. Quum enim actionem aliquam, quæ ad gratum jucundumque et sponte placentem finem conducat, mente concipio, non ideo eam volo; aut eam quidem volo, quia et finem ad quem conducit prius volui. Quum ad finem voluntate vere propositum utilis mihi videtur actio, tum demum eam volo. Itaque ejus cum fine quem volui colligatio causa est cur eam quoque velim. Aut potius præcipuæ consiliorum captorum causæ actionumque nostrarum rationes sunt fines quos ipsi nobis ex voluntate proposuimus.

Quare officiorum, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, justitiæ honestatisque legi alii homines obediunt, resistunt alii? Nonne hi, sicut et illi, aliquam earum rerum notionem ante oculos habent? His quidem in mente

notio inest, inest etiam sensus aliquis, voluntas autem nulla est; nempe eas res non sibi firma voluntate proposuerunt tanquam destinatos vitæ fines, qualem futuram esse volunt. Idcirco illæ officiorum leges aliis, non vero aliis, consiliorum capiendorum causæ determinantes, sive actionum rationes sunt. Eæ igitur causæ vel rationes neque notiones meræ sunt aut opiniones, neque sensus aut affectus, sed notiones sensusque quibus assensa est persona, id est *repræsentati* fines, quos non modo cupiit animus aut mens probavit, sed quos ipsa persona, sive suî conscium suîque potens *subjectum,* sibi ita ex voluntate proposuit, ut eos omnino *suos* fecerit, et in essentiam suam, quasi proprias voluntatis determinationes adsciverit. Itaque persona, quum his causis ad aliquid agendum inducitur, non alienis viribus impellitur, sed suæ propriæ voluntati sibique paret.

Inter philosophos qui de voluntate ac libero arbitrio disserunt, multi in eo tantum student, ut exquirant quomodo factis præteritis voluntas devincta sit. A præterita quidem vita mea me divellere non possum, eaque partim ingrediendæ mihi in posterum viæ determinantur. Hoc vero qua fit ratione, nisi quod in præterita vita futuram præparavi? Mihi enim licet me in futurum tempus, ut ita dicam, porrigere atque projicere, non modo cogitatione, sed etiam voluntate; non modo in hodiernum diem volo, sed etiam in crastinum, vel in longinquum tempus, vel interdum in omnem vitæ meæ diuturnitatem, et, quod mirum est, in tempus quo non jam vivam. Ut me alicui seu sponsione seu jurejurando in futurum obligo, quod quidem est obstringere non modo mentem aut pectus, sed etiam vo-

luntatem totamque personam ; ita me mihi quoque obligare possum, id est, in futurum aliquid velle[1]. Quæ autem ita e longinquo volumus, ea præcipue meditata sunt et iterum atque iterum deliberata ; ea recognita quidem sunt sæpissime atque interdum in reputando emendata. Hæc diuturna voluntatis placita, progrediente ætate et coalescente consuetudine, intimæ fiunt in nobis propensiones,

1. « Quand je m'engage avec vous par une promesse, je m'engage aussi envers moi-même, et je me promets, à moi comme à vous, de rester le même pendant tout l'intervalle de temps qui séparera la promesse faite de la promesse accomplie. Ce temps, ma volonté le domine ; elle le tient sous sa puissance avec toute la série des phénomènes qui peuvent y trouver place. Quels que soient les événements qui suivront ma promesse, quelque nombreux et divers qu'ils soient, cette série intermédiaire d'antécédents et de conséquents ne comptera pour rien ; ma promesse sera l'antécédent immédiat et unique de sa réalisation : la même volonté qui l'a faite l'exécutera. La liberté est donc la puissance de vouloir une même chose à des intervalles plus ou moins éloignés, indépendamment des phénomènes intermédiaires. Dès l'instant présent, elle se fixe à elle-même une limite ou un but dans le temps encore à venir ; puis, demeurant identique pendant tout l'intervalle, elle manifeste cette identité à chacun des points intermédiaires, en résistant à toutes les causes qui tendraient à la faire dévier, en demeurant indifférente à tout ce qui n'est pas l'action promise. Par l'élan qu'elle s'est ainsi imprimé, et dont elle mesure intérieurement l'énergie, elle sait qu'elle atteindra le but sans que rien l'en détourne. Si vous rejetez avec quelque raison la liberté d'indifférence, vous sera-t-il aussi facile de méconnaître cette liberté vraie qui se fait à elle-même sa nécessité, et qui, après s'être donné un ordre, y obéit partout et toujours ? — « Ne va pas au Sénat ! » dit Vespasien à Helvidius Priscus ; et ce dernier répond : « Tant que je serai sénateur, *il faut* que je me rende aux délibérations. — Vas-y, mais n'y dis mot. — Ne me demande pas mon avis, et je me tairai. — Il faut que je te le demande. — Et moi, *il faut* que je te dise ce qui me paraît juste. — Mais, si tu parles, je te ferai périr. — Quand donc t'ai-je dit que je fusse immortel ? » — *Il le faut*, dit Helvidius ; mais il devrait dire : *Il le faut, parce que je le veux librement.* (A. Fouillée, *Liberté et déterminisme*, p. 19.)

propriamque personæ indolem et quasi morum fundamentum constituunt[1]. His quidem obstringitur quodammodo arbitrium nostrum et leges quas ipsum tulit patitur. Eæ sunt voluntariæ cujusque actionis veræ rationes capiendorumque consiliorum causæ.

Ex Kantii sententia, in cujusque hominis vita præsentis momenti momentum præteritum causa est; quumque præteritum non jam ex nostra potestate pendeat, ideo neque præsens pendere putandum est; ergo non liberi sumus. — Ideo vero præteritum tempus præsentis causa est, quod ea in præterito voluimus, quæ in præsente efficiuntur. Horum igitur vere sumus auctores, nec quidquam obstat quin liberi habeamur. Ut Leibnitius, de divina potentia locutus, aiebat, consequens quæque voluntas ex antecedente pendet; non vero minus ex prima illa causa quæ ante voluit pendet, nec minus illa libera est. Præterea, quod ad homines attinet, consequens quædam voluntas non est absolute antecedente obstricta, quia hæc ipsa non est in nobis, uti in Deo, immutabilis, sed experiendo et meditando mutari aut emendari potest. Ad hoc satis erit : 1° Si caverimus ne nos esse perfectos omnique errore immunes putemus, quæ quidem diffidentia aliqua est libertatis conditio; 2° Si bonum nobis ex voluntate nostra propositum nunquam ut perfectum absolutum que bonum habuerimus[2]. Sub his quidem con-

1. Vide supra p. LIV.

2. « Nous sommes déterminés par notre nature à vouloir le bien en général; mais nous avons la liberté de notre choix à l'égard de tous les biens particuliers. » (Bossuet, *Conn. de Dieu et de soi-même*, ch. I, art. 18.)

« Tout ce que l'esprit se représente comme son bien est fini, et

ditionibus, præsentes determinationes in nostra utique potestate sunt, nec futuræ præteritis necessaria immutabilique lege obligatæ sunt.

Profecto propositum nobis ex antecedente voluntate finem non sine ratione derelinquere aut mutare solemus. Quum eum ipsi per nos mutamus, eum ex consilio et ob rationem aliquam mutamus; si autem fortuita et temeraria mutatio erit, non vere propria ea erit aut personalis. Quia autem haud sine ratione fit optio vel determinatio aliqua, non inde sequitur et eam esse ex necessitate factam. Ut supra jam notavimus [1], sunt rationum duo genera : aliæ, *determinantes* quidem, non vero *sufficientes*, in nostris ex antecedente voluntate propositis et mente *repræsentatis* finibus, aliæ, quæ postremo optio-

tout ce qui est fini peut détourner pour un moment notre amour, mais il ne peut le fixer. » (Malebranche, *Rech. de la vérité*, l. IV, ch. II.)

« Quand nous sommes dans notre bon sens, il n'est aucun bien absolu pour nous ; il n'en est point, par conséquent, qui nous détermine nécessairement... Dans le cas où la volonté est prévenue librement en faveur d'un objet qui se présente, elle l'est par un choix qui suppose qu'elle aurait pu ne pas le faire, et elle n'a pas perdu le pouvoir d'examiner de nouveau ce choix... L'âme est d'abord entraînée par des mouvements indélibérés ; alors son amour pour le bien-être s'est déterminé nécessairement pour l'unique bien qui s'est présenté. Mais, lorsque la raison revient l'éclairer, ce bien cesse d'être unique, d'être absolu ; il est comparé à des biens d'un autre ordre, ou du même ordre, à ce qui nous intéresse actuellement, ou qui pourra nous intéresser. L'âme peut revenir alors sur son choix ou sur son amour, le rétracter ou le confirmer. Il en est de même de notre âme prévenue par quelque habitude, qui n'est que le même choix souvent répété et devenu fixe... avec une vive répugnance à changer, elle se sent toujours le pouvoir de changer. » (L'abbé de Lignac, *Témoignage du sens intime*, t. I, pp. 145-151.)

1. Vide supra, pp. XXIX, XXX, notam.

nem aut determinationem rapiunt, in nostra subjectiva voluntate, quæ non potest *repræsentari*, aut in ipso sui conscio *subjecto,* positæ sunt. Eæ postremæ rationes in intima indole nostra sedent, quæ partim naturalibus alienisque viribus constituta, partim nostrarum voluntatum continuatione informata, eo magis propria ac personalis est, quo magis est voluntaria. Eæ igitur tanquam partes essentiæ nostræ esse videntur, et quum per eas ipsi nos determinavimus, nos vere nosmet per nos determinavisse existimandum est. Quo magis autem indoles nostra est voluntatis nostræ opus, eo perfectior est nostras libertas.

IV

Igitur, ut paucis concludamus, quærenda esse videtur libertas non in animo, ubi nascuntur inclinationes et vires ex causis quæ non in nostra potestate sunt, sed in persona, ubi incitationes cogitationesque eo tantum pollent, quod ab ipsa persona, aut sponte electæ aut libenter acceptæ sunt, dum quidem hæc suî conscia et suî potens est, atque in se mente reflectitur.

Persona corporis membra animique vires ipsa suæ potestati subjicit, finesque ad quos vitam regat ipsa sibi proponit. Quum multa in futurum velle voluntatemque suam e longinquo præparare atque instituere soleat, ipsa suæ vitæ partim causa fit. Cæterum reputandi, meditandi deliberandique facultate prædita est, cujus ea singularis est utilitas, ut ejus ope ipsa tota atque integra actionum suarum et propositorum vel decretorum tanquam judex et

auctor fiat. Quæ voluntate facit, cur faciat causæ determinantes sunt non cogitationes vel sensus alienis ex fontibus orti, sed cogitationes sensusve quibus assensa est, vel potius fines, quos suos esse voluit. Ita veræ propriarum actionum rationes eæ sunt determinationes, quas antecedente quadam voluntate sibi dedit; his prioribus voluntatis determinationibus se consequens quæque voluntas, sed libere, obligat. Personæ licet, ut ita dicam, fidem sibi suam obstringere, et quum aliquid secum in tempus futurum decreverit, huic quasi diuturnæ voluntati fideliter obsequi. Ita in præsentibus futura præparat; ita e longinquo suæ voluntatis personalisque vitæ ipsa causa fit. Quo magis autem et futura prævidet, et in futurum consilia capit, et se in futurum determinat, eo magis quoque per se vult, per se vivit, per se est; eo magis est libera. Hac demum certa diuturnaque voluntate freta, a mutabili sensuum impulsu fortuitaque causarum externarum vi se persona vindicat, et supra *rerum naturæ ordinem ordinem libertatis* constituit.

Ergo si liberum arbitrium in eo consistit, ut aliquis se per se determinet, sola libera esse potest persona, id est, suî conscium, suîque et suarum facultatum potens *subjectum*. Sola enim non modo actiones suas ex finibus sibi propositis, sed etiam propositos sibi fines ex indole et judicio et voluntate sua determinat. Ea personalis vitæ causa est, non sola quidem, nec utique per se; sed hujus vitæ partim per se causa esse potest, prout se ipsa, cogitatione in se reflexa, judicat et regit.

INDEX

Toulouse, impr. Douladoure Privat, rue Saint Rome, 39. — 4285

Vidi ac perlegi,
Lugduni, die 23 mensis octobris 1882,
Facultatis litterarum in Academia Lugdunensi Decanus,

G. A. Heinrich,

Typis mandetur,
Academiæ Lugdunensis Rector,

Em. Charles,